MORBORVM ANTIQVITATES



COLLEGIT
EX OPTIMIS QVIBVSQVE AVCTORIBVS
RECENSVIT, ORDINAVIT
ET SVO QVEMVIS MORBVM LOCO
COLLOCANDVM CVRAVIT

CHRISTIANVS GODOFR. GRVNER
MEDICINAE DOCTOR
BOTANICES AC THEORETICES IN VNIVERSITATE
LITTERARIA IENENSI PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS
FACVLTATIS MEDICAE ADSESSOR, ACADEMIAE ELECTORALIS
MOGVNTINAE SCIENTIARVM VTILIVM ET SOCIETATIS
LATINAE IENENSIS SODALIS



VRATISLAVIAE
APVD IOAN. FRIDERICVM KORNIVM SENIOREM
cIↄIↄcclxxiiii

ILLVSTRISSIMO

ATQVE

EXCELLENTISSIMO DOMINO

DOMINO

ACHAT. LVDOV. CAROLO SCHMID

SERENISSIMAE DVCI SAXO - VINARIENSI ET ISENACENSI A CONSILIIS INTIMIS ASSISTENTIAE

REL. REL.

MAECENATI MERITIS IN PATRIAM, ACADEMIAM LITTERAS, OPTIMVM QVEMQVE CONSPICVO

PATRONO ET FAVTORI SANCTISSIME COLENDO

ILLVSTRISSIME
DOMINE CLEMENTISSIME

Ea sunt TVA *in me merita,* DOMINE CLEMENTISSIME, *vt amplius temperare mihi nequeam, quin* TIBI *animum gratum atque obstrictissimum publice testificandum existimem, et hunc libellum, tan-*

quam pietatis et obſeruantiae ſummae monimentum, ſacrum eſſe velim.

Fretus enim fauore et clementia illa ſingulari, DOMINE ILLVSTRISSIME, *qua me, iuſſu* SERENISSIMAE DVCIS, AMALIAE, *in academiam Ienenſem euocatum, nuper excipiendum, fouendum, excitandum cenſuiſti, non ſpero ſolum, verum etiam confido, fore, vt et hunc ingenioli mei fetum ea, qua ſoles, gratia in tutelam et praeſidium quaſi recipias, et in poſterum magnus Apollo mihi eſſe haud dedigneris.*

Faxit Deus immortalis, DOMINE CLEMENTISSIME, *vt in commoda patriae, in bonorum amorem, in munerum publi-*

publicorum ornamentum, diu ſaluus, ſoſpes, incolumis cum LECTISSIMA CONIVGE *viuas, ſerusque in caelum redeas. Faxit Deus, vt ea, quae ſalutis publicae et priuatae cauſſa aggredi* TIBI *videantur, proſpere ſemper et vbiuis eueniant.*

Ego vero non deſinam, DOMINE CLEMENTISSIME, *pietate, diligentia, aſſiduitate, morum modeſtia et probitate, litterarum bonarum et medicinae ſtudiis,* TVAM *gratiam, fauorem* TVVM *patrocinium* TVVM, *promereri, haud profecto neſcius, cum* TIBI *academiae noſtrae ſalus ſit concredita quaſique in manus tradita,* TE *nec poſſe, nec velle*

illos negligere, qui, vt viros probos decet, ibidem litteris operam ſuam atque tempus nauare allaborant.

ILLVSTRISSIMI NOMINIS TVI

Ienae
III. Non. Maias.
cIↄIↄcclxxiiii.

obſeruantiſſimus
Chriſtianus Godofredus Gruner.

PRAE-



PRAEFATIO.

Miratus ſum ſaepenumero, quid ſit, quod veteres medici hodie negligantur ita, nihil vt magis, et ingemui noſtrorum hominum ſocordiae dicam, an impudentiae, qua quicquid priſcorum ſeculorum eſt, turpiter contemnunt. Id quod, ſi in qua diſciplina alia, in medicina certe ſumma eſt iniuria, et maximo cum artis damno fit. Etenim *inter ſtudia verſandum eſt*, inquit SENECA *), *et inter auctores ſapientiae, vt quaeſita diſcamus, nondum inuenta*

 quae-

*) Epiſt. 104. p. 463. T. II. ed. *Lipſ.*

quaeramus. Continetur enim ars noſtra omnis vſu et experientia: quae niſi praeceſſerit, rationi locus nullus eſt. Illa praecepta dat, haec ordinat, adeoque medicus perfectus nemo eſſe poteſt, niſi lectionem veterum anteceſſorum non negligendam putet. Quid enim eſt ſtultius aut quid abſurdius illa quorumdam opinione, qui ſe ſibi ſolis ſapere poſſe credunt, a ſe ſolis proficere, atque ſcientiae praeſtantia, ceteris anteſtare, etſi ne illa quidem ſciant, quae patrum memoria in medicina geſta ſint? Deſint neceſſe eſt hiſce hominibus multa inſtrumenta, quibus prudentiores Aeſculapii ſucceſſores morbos profligarunt et etiamnum profligant, adeoque nihil iis eſſe debet infelicius, nihil magis ridiculum. Neſciunt, qui veteres rident et ſpernunt, quantum iis inſit copiarum ad bene prudenterque medicinam faciendam; et cum fieri nullo modo poſſit, vt quorumcunque morborum vim atque naturam ipſe tute perſpicias, aut remedia medendique ratio-

rationem per quietem quaſi ac ſomnum diſcas, ſequitur, vt lectione ſola liceat nobis theſauros omnium ſeculorum quaſi aperire, indeque ſpoliorum opimorum multitudine onuſtis medicinam ipſam aggredi. Haec demum vera medicina eſt, quae inde ab HIPPOCRATE quaeuis praeclare dicta et bene facta repetendo ad noſtra vsque tempora deducitur. Tunc enim non adeo facile metus errandi eſt, atque tunc omnium optime eluditur illud PLINII *) dicterium, quo medici periculis hominum diſcere, atque experimenta per mortes agere perhibentur. Accedit, quod incredibilis noſtris animis inſita quaſi et ingenerata eſt earum rerum veneratio, quae a maioribus accepimus: quae quo magis antiquitatis fabuloſae tenebris inuoluuntur quaſique obſcurantur, eo maioris aeſtimandae videntur. Vnde ſine dubio ridicula illa nata eſt ſuperbia quorumdam nobilium, qui etſi maioribus ſuis longe

*) Hiſt. Nat. XXIX. 1.

longe deteriores ſint, et vix ac ne vix quidem praeclaro illo nomine digni, tamen ex laruis et vmbris ſibi captandam putant gloriolam, et in atriis reponendas curant fumoſas maiorum imagines, ſtatuas, ſigna, ſpolia bellica, quaſi vero haec magni nominis facies et inſignia posſint nepotes nequiores nobilitare. Quae res et admiratio maiorum cum per ſe eſt laudabilis, tum imitatione medicorum digniſſima. Habemus enim talia vetuſtatis monimenta, quae temporum iniuria ad nos peruenire paſſa eſt, continenturque iis optima artis medicae praecepta, quae quia ſola fere experientia conſtant, eo tutiora ſunt, et nos via breuisſima in interiores medicinae receſſus ac adyta quaſi intro ducunt. Hos duces et auctores ſequi, magna laus eſt; quorum lectio certe omnibus, ſi qui excelſioris animi ſunt, perneceſſaria eſt.

At vero et vtiliſſimum medicis eſt illud priſcorum ſtudium, neque quemquam tem-

poris, laboris, vigiliarum, poenitebit, modo illa monimenta, ſuaſu admonituque poetae, diurna, nocturnaque manu verſare velit. Si enim verum eſt, vt eſt, viri magni et probi eſſe, extra anguſtos cognitionis humanae cancellos, quoad eius fieri licet, declinare, metamque quaſi tranſilire, quid vtilius, lectione illa, quid magis accommodatum eſt ad hoc propoſitum exſequendum, quod naturae ſtimulis concitatus ſectatur optimus quisque? Inſunt enim libris iis, abunde praeceptorum, quae hodienum poſſis in gloriam tuam et vſus publicos conferre, quippe veteres naturae veſtigiis ſtrenue inſiſtentes haud facile falli aut offendere poterant, aliter ac noſtra aetate fit, cum multi ratiociniorum lenociniis abrepti huc illuc incerti vagantur, et tandem temporis male ac inutiliter collocati ſe poenitere profitentur. Caueant igitur omnes ſibi ab id genus riuulis turbidis minusque puris, fugiantque cane peius et angue, qui praeter vires corporum

mor-

mortuas, animulam reginam, archeum iratum, deum mundi rerumque omnium quasi motorem et impulsorem, aut quaedam alia ingenii male nouaturientis deliramenta nihil sciunt. Redeundum est ad veteres medicos, veros naturae imitatores, ex quorum contubernio non poteris non doctior et ad artis exercitium accommodatior accedere. Quid enim in obseruando diligentius HIPPOCRATE? Quid CELSO elegantius, quid tersius? Quid accuratius ARETAEO? Quid GALENO doctius? Quid CAELIO AVRELIANO locupletius cum in exprimenda morborum imagine, tum auctorum veterum opinionibus excutiendis? Quid ALEXANDRO TRALLIANO verius? Quid ORIBASIO, AETIO, PAVLLO, plenius, quid tolerantius in colligendis antecessorum fragmentis, quae auro et argento praestantiora sunt? Crescit profecto magnorum virorum admiratio, quo maiorem cum iis familiaritatem et vsum

con-

contraxeris, neque poteris non magnus euadere medicus, cum tantos ſanioris medicinae auctores tamque praeclaros magiſtros duces ſequi non recuſaris. Tunc enim temporis neceſſe eſt, vt aſſidua eorum lectio ingenium alat, optimis omnium ſeculorum inuentis locupletet, et ad imitandum excitet. Nusquam deſunt copiae, modo ne deſint, qui illis vti et velint, et poſſint, et cuiuis poteſtas data eſt, in haec naturae veraeque medicinae ſacraria penetrare. Nemo repulſus aut triſtis abibit, qui huc acceſſerit diſcendi cupidus. Largi ſunt naturae ſacerdotes, vt natura ipſa larga eſt, modo illos adeas, et cum iis viuere velis. Ex hac enim communione ſola et contubernio, tanquam ex equo Troiano, tot tamque boni medici maiorum et patrum noſtrorum memoria prodierunt, vt numerum obſtupeſcere debeam, inire non poſſim. Hinc Italia produxit FRACASTORIOS, SCALIGEROS, MERCVRIALES, LANCISIOS,

CISIOS, MORGAGNIOS, COCCHIOS; Gallia FOESIOS, GORRAEOS, FERNELIOS, BALLONIOS; Brittannia HARVEIOS, MEADIOS, FREINDOS; Belgium IVNIOS, LINDENIOS, ALBINOS, BOERHAAVIOS, GORTEROS, GAVBIOS, SANDIFORTOS; Hiſpania LEMOSIOS, VALLESIOS, REIESIOS; Heluetia GESNEROS, ZVINGEROS, HALLEROS; Dania BARTHOLINOS, BORRICHIOS, RHODIOS, KRATZENSTEINIOS; Germania denique noſtra CORNARIOS, FVCHSIOS, OPSOPOEOS, MEIBOMIOS, CONRINGIOS, CRATONES, SENNERTOS, REINESIOS, HOFFMANNOS, BRENDELIOS, WERLHOFIOS, HAENIOS, RICHTEROS, TRILLEROS, et ſexcentos praeterea alios, qui cum omnem ſtudiorum curſum a priſcis medicis auſpicati ſunt, tum inter diuina eorum monimenta placide conſenuerunt. Orta vero exinde eſt laudabilis illa medicorum priſtino-

rum

rum aemulatio, vt alii aliis in intelligendis et explicandis iis monimentis antecellere allaborarent. Reportarunt illi ex hoc ſtudio et amore vel apud poſteros nobile illud nomen, vt *medici Hippocratici* i. e. ſtrenui HIPPOCRATIS magni ſectatores appellarentur. Quod nomen cum perhonorificum eſt, quia ii, qui bonos magnosque artifices ſequuntur, et ipſi boni ac magni habentur, tum nos cogit, omnem operam, omne ſtudium atque tempus, eo dirigere, vt tantos naturae obſeruatores velimus, niſi diligentia et accuratione vere adſequi; id quod perquam difficile eſt; at ſaltem conari. Nam arduis in rebus etiam voluiſſe ſat eſt.

Neque hic ſubſiſtere placet. Eſt etiam haec veterum medicorum lectio omnium longe iucundiſſima, et dici vix poteſt, quantum voluptatis exinde in quemuis diſcendi cupidum redundet. Trahimur enim omnes et tantum non ducimur rerum nouarum ſtudio, fecitque

illud cum maxime audaces homines ſic, vt nulla pericula fugienda putarent, nullas difficultates perhorreſcendas, modo voti compotes fierent. Quid ergo mirum, ſi qui excelſioris ingenii medici fata artis ſuae inde ab fabuloſis temporibus repetendo vsque ad noſtra deducerent? Quid mirum, ſi omni, qua poterant, diligentia et labore priſcorum medicorum nomina, vitas, merita, decreta, hinc inde diſperſa et lacera in vnum quaſi corpus refingerent, et per viam quandam compendiariam nobis tradenda curarent? Factum id eſt, ni fallor, ob voluptatem ſummam, quam ex lectione veterum hauſerant, et ne illa foret irrita aut vſus ſaltem publici expers, nobiscum haec ſpolia communicarunt, vt nos et ad monimenta illa diurna nocturnaque manu verſanda allectarent, et attentos quaſi ad rem atque commoda facerent, quae hic certe ſunt maxima, nec per omnem vitam interitura. Ego certe, ſi fas eſt magnis viris me adiungere,

gere, incredibili quadam voluptate affectus ſum, quoties veterum libros in manus ſumſeram, eaque ſine dubio ſola effecit, vt ab iſtorum amore ac veneratione me neque quorumdam cauillationes auocarent, neque minae maleuolorum deterrerent, neque denique auctoritates ad aliter ſentiendum aut recentiores ſolos extollendos impellerent. Media ſemper via procedendum eſt, niſi velis praeiudiciorum procellis huc illuc agitari, et tandem naufragus perire.

Impulerunt me illae cauſſae, L. B. vt hasce *morborum antiquitates* conſcriberem. Sunt enim alii, qui ita in verba magiſtri iurarunt, vt piaculo ſibi eſſe putarent, ab eorum placitis recedere; alii vero non, niſi veteres laudibus digniſſimos reputarunt, cum maxime, ſi quaeritur, vtrum omnes omnino morbi inde a priſcis temporibus noti fuerint, nec ne, an noui ſubinde acceſſerint, et quales; quo denique loco quique habendi ſint cet. Quae ſi

quis bene pertractare voluerit, necesse est primum, omnia auctorum cum coaeuorum, tum sequentium loca, quoad eius fieri potest, colligat, deinde quaeque momenta inter se rite conferat, tandem sine vlla praeiudicata opinione aperte dicat, quae videantur, non veritus quorumdam hominum peruersitatem, qui, neglecta vera verborum notione ac temporum ratione posthabita, de tribus capellis disputant. Has ego mihi certe leges, quas iam adduxi, iure meritoque scripseram; An vero proposito meo et votis legentium satisfecerim, dubiamque illam rem magis collustrarim, penes alios, qui acutioris in indagando, et explicando naris sunt, esto iudicium. Quibus si non indignus videar assensu, et aliqua laude, tunc, vt bene monet philosophus *), *aeque animo audienda sunt imperitorum conuicia: Ad honesta vadenti contemnendus est iste contemtus.* Quare nec eorum sermunculos curo, qui quoniam

* Epist. 76. p. 253. T. II.

niam veterum medicorum praeſtantiam ignorant, quosuis eorum cultores et amicos ſpernendos exiſtimant, quaſi vero ridiculi illi homunciones tanti eſſent, vt viris probis nocere poſſent. *Quidni ego, ſimiliter*, vt SENECA *), *magnorum virorum et imagines habeam, incitamenta animi, et natales celebrem? Quidni illos honoris cauſſa ſemper appellem? Quam venerationem praeceptoribus meis debeo, eandem illis praeceptoribus generis humani, a quibus tanti boni initia fluxerunt. — Ego vero illos veneror, et tantis nominibus ſemper adſurgo.* Sed haec hactenus. Ego vero magnam felicitatis meae partem attigiſſe videbor, ſiquid hiſce meis laboribus conferre poſſim ad priſtinum veterum medicorum ſtudium et auctoritatem reuocandam, cum maxime poſtquam nuper Illuſtr. TRILLERVS, Senex venerabilis, artis noſtrae decus, bonarum litterarum vindex, medicaſtrorum et pharmacopolarum oſor, viro-

* Epiſt. 64. p. 187.

rum proborum deliciae, me heredem quasi amoris ac fauoris eius, quo in HIPPOCRATEM magnum fertur, perhumaniter scripsit: Vtinam et ingenii heredem scripsisset! Vtinam per fata tanto tamque praeclaro viro liceret, semper viuere, nunquam de herede cogitare! Etenim, auctore HORATIO *) et experientia teste,

Dignum laude virum musa vetat mori,
Caelo musa beat.

Sed te non amplius moror, L. B. Tuum est, de sumtis nostris iudicare. Id quod vt prospere eueniat, ex animo opto. De reliquo vale, mihique fauere perge. Scripsi Ienae III. Non. Mai. CIƆIƆCCLXXIIII.

* Carm. IV. Od. 8. v. 28. sequ.



ARGV-

ARGVMENTORVM RECENSIO.



MOR-



MORBORVM ANTIQVITATES.

PROOEMIVM.



Ea eſt vitae humanae imbecillitas, vt plurimi rerum imagines haud raro per tranſennam quaſi accipiant, atque ludicris perſuaſionum lenociniis allecti et ſibi placeant incredibiliter, placideque cum iis conſeneſcant, et omnes aliter ſentientes quouis modo in ſuas partes trahi percupiant. Id quod quemadmodum ſolet quoscunque, ſi ſibi non ſatis cauent, admirabili quadam dulcedine ac ſuauitate quaſi naturali ſic allicere, vt perditiſſimis hiſce opinionum auitarum ſcopulis tenaciter adhaereſcant, neque ſalui ac incolumes euadere vllo modo poſſint; ita etiam omnis adhibenda eſt opera, ne, iſto ſuperſtitionis iugo excuſſo, ſentiendique libertate

reddita, nimii ſimus in abiurandis iis placitis, quibus adhuc fuimus a teneris, quod aiunt, vnguiculis dediti.

Accidit id, niſi me omnia fallunt, cum maxime, ſi *de veterum ſcriptorum auctoritate defendenda ſtatuendoque pretio* quaeritur. Nihil enim tunc temporis facilius eſt, quam vt in vtramque partem pecces, et quaeuis priſcorum hominum decreta aut ſummis efferas laudibus, nulla habita temporum argumentique ratione, aut, etiamſi vel ex tripode dicta ſint naturaeque appoſitiſſima, alto ſpernas ſupercilio, quaſi non, niſi nugas et ſeſquipedalia verba temere effutiiſſent ſenes illi depontani.

At vero vterque, per deum immortalem! quam iniquus in iudicando eſt! quam ſeſe dat turpiter! Neque enim omnia, quae in veterum ſcriptis occurrunt, aequabiliter bona et praeclara ſunt, cum ea quaſi naturae lex aeterna conſtantiſſimaque eſſe videatur, vt et varia ingeniorum vis ſit, et varius magnorum virorum prouentus; neque vero etiam, ſi vel leuiſſima quaeuis animaduertas, infra docti hominis dignitatem aut nullius frugi ſunt, modo ſis veri cupidus venerumque intelligens. Diuinus enim PLATO, vt hoc vtar, etiam, cum nugatur, mirifice placet, partim ob ingenii magnitudinem, partim ob verborum ſuauitatem, qua, dici vix poteſt, quantopere alliciatur legentium animus aut ad inuenienda meliora, aut ad acumen philoſophi ſaltem admirandum.

Quare

Quare male me profecto multis iam abhinc annis habuit turpis illa veterum ſcriptorum contemtio, tacitusque haud raro mecum ingemui, cum a quibusdam AESCVLAPII ſucceſſoribus iisque magiſtris tyronum ſane, vt ſibi videntur, magnis atque ſpectabilibus, veterum libros aut nunquam commemorari intelligerem, aut ſaltem honoris cauſſa, ne qua in re inferiores iis deterioresue viderentur. At, bone deus! quam feſtiui lepidique iſti cerebroſi homunciones ſunt. Ferunt enim, cum quidam vix dum in medicinae myſteriis initiatus ſtudiorum incundorum rationem a tali magiſtro peteret, ſibique vellet ad legendum dari libellos Hippocraticos, illico ad aphoriſmos ventum eſſe, tanquam optimorum praeceptorum feraciſſimos. Obſequor, inquit ille, vt tyronem decet. Hippocratea monimenta diurna nocturnaque manu verſo. Lego aphoriſmos et relego, atque tandem, vt illi apud TERENTIVM [a]), exclamandum mihi fuit:

Feciſtis probe:
Incertior ſum multo, quam dudum.

Quid inde? Proripio me ad magiſtrum, HIPPOCRATIS mei amorem totus, quantus quantus eram, ſpirans. Nouum penſum poſtulo. Datur, idque ex iis libris, qui in morbis popularibus verſantur. Tunc ego, inquit ille, vt in tali iniuria meus eſt mos, obſtrepere, hos libellos deprecari,

 quae

a) Phorm. Act. II. Sc. 4. v. 19.

quae veterani medici perſona digna videbantur, tyronis vero ſcientiae non accommodata ſatis; precibus denuo inſiſtere, vrgere vehementius. Quid amplius? An alia particula data eſt? Non ita mehercle. Ille enim ad incitas redactus fremere, indignari, feruidaque bile percitus me ad quendam bonarum litterarum profeſſorem amandare, vt, quae medicus in medico HIPPOCRATE ineſſe non ſatis dilucideque intellexerat, ea omnia omnino philoſophus mihi ſedulo commendaret. O peregregium callidumque praeceptorem! O hominem cum maxime commendabilem, monimentoque, quod aere perennius eſt, prae ceteris digniſſimum! Qui enim cum a veterum medicorum lectione tam rudis eſſet, vt non niſi nomina interdum per ſpeciem artis blateraret, venit in mentem illud, quod, auctore SVETONIO b), *Caeſari accidiſſe ferunt, peregrinis in ſenatum allectis. Bonum factum. Ne quis ſenatori nouo curiam monſtrare velit.*

Similis fere mea fuit ratio paucis diebus poſt, quam Vratislauiam artis cauſſa commigraſſem. Inviſenti enim mihi hominem quendam egregie, ſi Dis placet, doctum, maximeque Gallos in deliciis habentem, virum delicatulum, graeculum calamiſtratum atque vnguentatum, genis nitidulis, ore ſuaui ac dulciuſculo: Heus tu, inquis ille, omnium ſane bipedum quadrupedumque inſulſiſſimus es, ſi HIPPOCRATI ceterisque ſilicerniis tantum auctoritatis

b) In Vita *Caeſar.* c. 80.

ritatis atque praeſtantiae vere ineſſe putas, quantum tua hac diſſertatiuncula, *de cauſſis ſterilitatis in ſexu ſequiori ex doctrina Hippocratis veterumque medicorum*, innuiſſe videris! Nugarum enim anilium rerumque longe futiliſſimarum magiſtri illi ſunt, adeoque nihil operae, nihil ſtudii, nihil temporis iis legendis perdendum eſt. Noua, amabo, ſectemur, iisque ſtrenue inſiſtamus, vt, me duce, multi faciunt. Hominibus noſtris, maximeque Gallis, ſua vis, ſuus ſplendor, ſuae ſunt veneres, quibus, dici vix poteſt, quantopere delectantur ii, qui morum vrbanitate ac doctrinae ſuauitate perplacent. Sperne veteres, miſellos illos homunculos fabularumque artfices, et egregie (crede mihi experto) doctus eris. Tum ego hominis impudentiae mecum ſuccenſere, ingemiſcere turpiſſima illius accepta inſcientia, eumque ſic demum interpellare: Tu vero ridiculus profecto homo es et ab omni vitae modeſtia rudis, ſi tam audacter ac indicta cauſſa in veteres quosque bilem euomendam putas. Vnde enim haec praeclara tua ſcientia, dutas. Vnde enim haec praeclara tua ſcientia, durumque iudicium? Legiſtine ſcilicet diobolares illos, priſcorum mortalium libros graece ac latine? Non mehercle, inquit. Tanti poenitere non emo. Legi enim gallice. O magnum eximiumque veterum ſcriptorum iudicem! Qui cum, vt alter *Marius*, graeca et latina non ſatis intelligeret, iudicare tamen, eorumque pretium ſtatuere voluit, ſibique nominis famam ex hoc contemtu parare.

Riſum teneatis, amici!

Sed ita eſt (fateor) peruerſa vitae humanae conditio, vt, ſi qua ignores, ea omnino habeas odio, immo vero ceteros, qui ſibi a compendiaria doctrina cauent legendis veterum auctorum monimentis, ſibilo, conuiciis, iniuriis, excipiendos diuexandosque cenſeas. Quantum vero exinde detrimenti ceperit et adhuc capiat res publica, dici vix poteſt, ſiquidem, teſte XENOPHONTE c), *omnium bonorum fons quaſi eſt artium liberaliorum ſtudium.*

Accidit id, ſi quid video, cum maxime medicinae ſtudiis. Quae quia prae ceteris vſu et experientia continentur, magno mehercle cum ſalutis publicae damno priſcorum ſeculorum monimenta negliges. Ex hac enim peſſima veterum medicorum contemtione dimanauit in medicinam ipſam peſtilens ille error, quem in plurimorum certe animis altiſſimas radices egiſſe cognouimus, vt eorum lectionem aut minus neceſſariam ac ſterilem reputarent, aut iis ex vetuſtate ſola pretium aliquod ſtatuerent. Hinc tanta calamiſtratorum vnguentisque diffluentium medicorum cohors, qui veſtigiis praeceptorum ſtrenue inſiſtentes, veteres quoscunque odio plus, quam Vatiniano, proſequuntur, rident, ſibiloque excipiunt. Hinc foecunda gerronum proles, qui, ſpretis ſcilicet iſtorum deliramentis, recentiorum libros ne a limine quidem ſalutarunt, nec veriti quorundam hominum moroſitatem atque obtrectationes ſunt, quibus litterulae

c) Cyropaed. VII. p. 144. ed. *Leuncl.*

terulae graecae latinaeque curae ſunt. Hinc denique tot medicaſtrorum, pharmacopolarum, et circulatorum greges, qui cum vix et ne vix quidem vltra noſtrae artis elementa proceſſerint, quoscunque aliter ſentientes et cum maxime priſcae medicinae laudatores cane peius et angue fugiunt, haud immemores ſane illius apud OVIDIVM [d]):

Saepe pater dixit: Studium quid inutile tentas?
Hippocrates nullas ipſe reliquit opes.

Sed quorſum iſthaec? Vt cautiores ſimus in ſtatuendo veterum medicorum pretio, neque facile mediam in laudando et vituperando viam excedamus. Id quod tum demum accidiſſe cognouimus, ſi in *morborum nomina, naturam, cauſſas et ſigna* ſermo forte fortuna incidit. Alii enim, quotquot aduerſae valitudinis ſpecies vnquam fuerunt, ſunt, erunt, ex veterum ſcriptorum monimentis violenta quaſi manu extorquent, ſibique hac de gloria plaudunt impenſius. Alii vero, omnibus relictis rerum verborumque ambagibus, vix vltra noſtrorum hominum compendia ſapiunt, atque, horrendum, quantum indignantur, ſtomachantur, ſuccenſent, ſi quos in id genus ineptias incumbere animadverterint.

Egregium ſane praeclarumque facinus, quaſi male olim dixerit SENECA [e]): *Depone iſtam ſpem, poſſe te ſummatim deguſtare ingenia maximorum virorum.*

d) Triſt. IV. El. 10. v. 21.

e) Epiſt. 33. p. 104. T. II. ed. Lipſ.

rum. Tota tibi inſpicienda ſunt, tota tractanda. Tunc enim temporis non poteſt non fieri, vt ex hac familiaritate ſuauique contubernio vtilitatis plurimum capias, facileque perſpicias, rectene, an male ſenſerint, qui omnes omnino morbos, quorum truculentiae hodienum vita humana patet, fuiſſe olim incognitos ad rauim raucedinemque vſque vociferantur, nulla rerum ac temporis habita ratione. Hi enim ſunt aut in naturae myſteriis non ſatis initiati, aut a lectionibus veterum prorſus alieni, quae vt ſapiens f) idem ille de ſe exiſtimat, *ſunt neceſſariae, primum, ne ſim me vno contentus; deinde vt, cum ab aliis quaeſita cognouero, tum et de inuentis iudicem, et cogitem de inueniendis. Alit lectio ingenium,* pergit ille, *et ſtudio fatigatum, non ſine ſtudio tamen, reficit. Nec ſcribere tantum, nec tantum legere debemus. — Inuicem hoc illo commutandum eſt, et alterum altero temperandum, vt, quicquid lectione collectum eſt, ſtilus redigat in corpus.*

Adeſte igitur, o vos, ſtrenui veterum medicorum oſores! Legite morborum imagines, quas ad viuum illi expreſſerunt; dehinc ad recentiorum hominum labores confugite, atque tunc demum ſi ita placet, de MORBORVM ANTIQVITATE AC NOVITATE ferte iudicium. Praeclare enim ſimili in re poeta:

Non eſt res vnius aeui
Contemplatio naturae, nec nititur aegris
Vnius ingenii fulcris venerabile verum,

adeo-

f) Epiſt. 84. p. 304. T. II.

adeoque videtur, SCALIGERO[g]) iudice, *nihil infelicius iis ingeniis, quae mordicus ſentiunt, maiores noſtros nihil ignoraſſe.*

Res enim iſta, de qua multis abhinc ſeculis diſceptatum a viris doctis eſt, et attentione medicorum digniſſima videtur, et ad proferenda noſtrae artis pomoeria ſatis accommodata. Quicunque vero hoc ſibi muneris datum impoſitumque eſſe exiſtimat, vt antiquitati ſuum ſplendorem atque decus reddat, omne ab eo partium ſtudium procul abeſſe iubeo, ne quid nimis aut parce fiat, aut, cum fauet veteribus, in recentiorum virorum merita iniurius atque inuidioſus eſſe videatur. *Multa enim*, inquit BACO [h]), *in modo rei et circumſtantiis eius noua ſunt, quae in genere ipſo noua non ſunt.*

Dura mihi (fatebor enim) viſa ſemper eorum ſententia eſt, qui, quicquid aegrotationum corporis infenſum nobis atque inſidioſum eſt, inde ab antiquiſſimis temporibus repetendum cenſent, ſiquidem, vt SOPHOCLES apud PLVTARCHVM [i]) rei noſtrae perquam apposite ait,

Ἅπαντα τὰ γένη τὸ πρῶτον ἦλθεν ἅπαξ

 Vnum-

g) Exercit. 306. p. 875. ed. *Hanov.*

h) Augment. Scient. IV. 2. p. 306. ed. Lugd.

i) Sympoſ. VIII. Quaeſt. 9. p. 733. T. II. ed. *Xyl.* Ibidem multis ſimul demonſtratur, fieri nullo modo poſſe, vt omnia morborum genera ſubito et vno quaſi impetu prognaſcantur.

Vnumquodque genus rerum semel aliquando ortum fuit.

Facile enim multa possunt accidere, quorum ministerio nobis a communi vitae consuetudinisque via recedendum est, adeoque nec mirum esse debet, si philosophus olim hac de re vere dixerit: Ἐκ τούτων νοσοῦμεν, οἷς καὶ ζῶμεν. *Ex iis morbi nobis contingunt: e quibus viuimus.* Aut iniusti nimis in recentiorum hominum promerita simus necesse est, aut sine vlla haesitatione id dari et debuit et potuit, *multa valitudinis aduersae genera,* nisi quoad materiam, tamen quoad formam, vt in scholis loquuntur, *veteribus fuisse incognita*, praesertim cum magna nobis eiusmodi exemplorum copia suppeteret, si iis vellemus possemusue strenue insistere.

Videbatur, vt hoc vtar, Atheniensis illa pestilentia noua quasi et adhuc ignota, quia, vt auctor PLVTARCHVS k) est, canes ipsi mortuorum cadaueribus vesci recusarent. Similiter se habet illud morbi genus, cuius AGATHARCHIDES l) meminit, quodque potissimum rubri maris accolis infensum erat, quia ex quodam anguium exiguorum ictu in suris brachiisque inflam-

k) L. cit. p. 732.

l) Ap. *Plutarch.* l. c. p. 733. Conuenire hoc malum, nisi vanus augur sum, videtur cum *vena Medinensi*, de qua infra pluribus dicere animus est. Neque ab hac nostra sententia alienus est *Hier. Mercurialis* Var. Lect. II. 20. p. 49.

flammatio vehementiſſima grauiſſimaque naſcebatur. Huc etiam pertinent omnes ſiniſtrae valitudinis ſpecies, quae quibusdam locis ac regionibus prae ceteris infeſtae ſunt, et aut perraro ſuis excedunt finibus, aut ſero tamen, et eo certe tempore, quo apparent, noua videntur exiſtimanda. Eminent hoc in numero *podagra Athenienſis; Morbus Deliorum*, cuius *Aeſchines* rhetor apud MERCVRIALEM m) et SAVVAGESIVS mm) meminerunt; *Flatus furioſus* apud ALBVCASEN; *Morbus Braſilienſis; Deſtillatio Geneuenſium; Tabes Luſitanorum; Morbus arquatus Apulorum; Hiſpanorum ſtruma; Plica polonica* cet. quae ſine dubio diu latuerunt veteres ac extrarios medicos. Hinc forſitan non inepte olim MELCH. SEBIZIVS n) haec nouorum morborum genera in quatuor claſſes deſcripſit, inque *primam* coniiciendos putauit, *qui nunquam neque apud nos, neque apud alios fuerunt obſeruati:* In *alteram, qui certis regionibus noui, aliis vero ſatis noti:* In *tertiam, qui vbique rari, interdum tamen deprehenduntur:*

m) Var. Lect. III. 18. p. 74. ſequ. cf. Cutaneor. Morb. II. 1. p. 134.

mm) Noſolog. Method. T. III. P. II. p. 507. cf. ſi placet, *Hirſchel* De plica Polonica in Briefen über verſchiedne Gegenſtände aus dem Reiche der Arzneigel. T. II. Brief IV. p. 5. ſequ. et de plurimis id genus morbis edifferentem *Cartheuſerum* L. De Endem. Morb. Frſt. 1771.

n) Ap. *Ge. Franck. de Franckenau* Satyr. Medic. XVII. §. 3. p. 327.

tur: In *quartam* denique retulit, *qui ſpecie quidem cum morbis notis conueniunt, accidentibus autem et ſymptomatibus quibusdam ab illis differunt.* Neque ſunt mehercle hanc ob cauſſam minoris aeſtimandi veteres, aut omni omnino meritorum gloria exuendi, ſiquidem eorum inueſtigandi curandique ratio etiamnum in nouis morbis tuta ſatis et appoſita eſt.

Quare videntur mihi eo magis culpandi recentiores medici, qui ſi quos aliter ſentire veteribusque aliquam gloriae particulam detrahere intellexerint, aqua et igne clamitant eos interdicendos eſſe atque omnium longe digniſſimos, quibus propter nouarum rerum ſtudium nunquam bene ſit. Accidit id, ni fallor, eorum plurimis, qui hoc in litterarum genere praeclare verſati ſunt. Reputanti enim mihi ea omnino omnia, quae de lubrico illo argumento olim ſcripta in vtramque partem ſunt, id ſane obſeruaſſe videor, plurimos aut praeiudicatae opinioni dediſſe omnia, veritati nihil, aut etiam decreta ſua non rite definiiſſe, adeoque temere veteribus medicis auctoritatem omnem derogaſſe.

Multum enim profecto intereſt, veram verborum rationem ac ſignificationem noſſe, neque ſtatim licet rem aliquam, tanquam nouam, et inſolitam, reiicere, quae aut per veterum medicorum incuriam non magni habita eſt, aut alio fortaſſe nomine inſignita. *Dyſenteria* enim *ſine febre,* quam

quam GESNERVS [nn]) V. Cl. noſtris hiſce diebus obſeruauit, non illico nouum valitudinis aduerſae genus eſt, quia nihil prohibet, quo minus in illam et priſci homines inciderent, vereque apud HIPPOCRATEM [o]) αἱ δυσεντερίαι ξὺν πυρετῷ et λυσιτελέες recenſentur. Similis ratio *morbi lateralis aeſtiui* eſt, quem et videre, et omni qua ſolet, accuratione diligentiaque deſcribere licuit TRILLERO [oo]), Seni venerabili viroque longe clariſſimo, quoniam ipſo fatente, alii etiam hoc mali genus, etſi rarius, accidere poſſe adfirmarunt. Porro huc pertinet *peripneumonia contagioſa*, quam, ni fallor, olim in Commercio Norico ad viuum deſcripſerat Illuſtr. HALLERVS, vt alios iam taceam. Ex his enim facile vincitur, perperam agere, qui, ſicubi inſolens aliquod ſignum ſubnaſcitur, de hoc inuento ſolent illico gloriari, ſibique plaudere impenſius, quaſi re optime geſta.

Ego ſaltem, qui natura ſum timidior, media vellem via incederent noſtri medici, cautioresque et in affirmando, et negando eſſent, adeoque, ne in ſimiles errores incidam, difficile hoc argumentum

nn) Beobacht. aus der Arzneigel. Band I. p. 20. ſequ. et n. XIII. p. 184. adducitur *eruptio* quaedam *ſcarlatina*, quae *ſine febre* fuit.

o) Praedict. II. §. 30. p. 509. ſeq. T. I. ed. *Lind.*

oo) Opuſcul. Medico-Philolog. Diſſ. III. p. 86. T. I. cf. *Geſner* l. c. n. V. p. 108. vbi plura hac de morbi ſpecie recenſentur.

tum ſic mihi definire liceat, vt dari *quaedam morborum genera* concedamus, *quae priſcis medicis fuerunt incognita; alia, vbi nomine illi diſſentiant, re ipſa* vero *cum recentioribus conueniant;* alia, *vbi bene inter ſe vtroque modo conſpirent;* alia denique, *in quorum nomine, natura, ſignisque veteres recentioribus medicis ſint longe accuratiores.*

In qua diuidendi via et ratione ſi erro, libenter erro, eumque errorem, modo meliora edoctus fuero, facile mihi eripi patiar. Sed praeſtat rem ipſam aggredi, et quatuor haec morborum genera ſingulatim explicare, exemplis ſuo quibusque loco additis.



MOR-



MORBORVM ANTIQVITATES.

SECTIO I.

DE IIS MORBORVM GENERIBVS, QVAE PRISCIS MEDICIS FVERVNT INCOGNITA.

Cogitanti mihi omnia *morborum genera*, *quae veteres prorſum latuerunt*, id videtur agendum eſſe vnice, vt, cum numerus eorum vix iniri poſſit partim ob ſignorum diuerſitates, quibus ſe in aegris prodere ſolent, partim ob anguſtos prouinciarum limites, quibus haud raro omnis eorum notitia circumſcribitur et tantum non tollitur, inſigniora quaeuis et commemoratu digniſſima ſedulo eligamus, cumulique loco eas, quae paſſim hiſce de argumentis dubitationes occurrunt, addamus fideliter ac naturae rei accommodate. Exemplis enim ſi abuti velis ad legentium alliciendos atque perſuadendos animos, obuia ſane facileque parabilia ſunt adhibenda, quoniam ſine hac cautione minus certa fides eſt. Quod an rite aſſecuti fuerimus, alii poſthaec videant. Nobis enim in re ardua voluiſſe ſat eſt. Iam ad rem ipſam propius accedamus.

I. VARIO-

I.

VARIOLAE, EARVMQVE INSITIO.

Variolae, infensissimum illud atque periculosissimum valitudinis aduersae genus, cuius immanitati aetas infantilis cum maxime obnoxia est, multis abhinc seculis tot tamque foedis stragibus insignes fuerunt, vt satis mirari nequeam, quid sit, quod de vera illarum origine medici adhuc digladientur. Alii enim, quorum in numero MANARDVS a), FVCHSIVS b), FERNELIVS c), PRIMEROSIVS cc), LAVRENTIVS, FORESTVS, ZACVTVS LVSITANVS, FRACASTORIVS d), AVGENIVS e), FAB. PAVLLINVS f), MEIBOMIVS, DAN. SENNERTVS g) WEDELIVS, nec non SALMASIVS h), HVETIVS i), HAHNIVS k), TRIL-

a) Epist. Medic. VII. p. 137.
b) Ap. *Mercurial.* De Pueror. Morb. I. 2. p. 29. vbi multa in vtramque partem argumenta pertractantur, variique auctorum aliter sentientium loci rite examinantur.
c) De Abdit. Rer. Causs. II. 12.
cc) L. De Febrib. p. 437.
d) De Morb. Contagios. II. 2. p. 115. ed. Ven. vbi variolas a Graecis τῶν ἐξανθημάτων nomine comprehendi putat.
e) Epist. Medic. L. III. Ep. 11. p. 114.
f) Comment. ad *Thucyd.* ni fallor. Sed liber iam non ad manus est.
g) L. De Febrib. IV. 12. p. 510. seq. ed. Frft. 1653.
h) De Annis Climacteric. p. 726.
i) In Huetian. p. m. 134.
k) Variolar. Antiquit. c. 1. §. 2. seq. p. 2. Mira conscriptus hic liber est diligentia et accuratione, vt eius auctorem hoc in litterarum genere versatissimum fuisse facile lubenterque concedamus. Prohibemur tamen multis de caussis, quo minus ei prorsum adsentiamus, id

TRILLERVS l), MARC. ANT. PLENCIZIVS ll); aliiqui multi ſunt, hanc variolarum laudem aut diſerte veteribus medicis attribuendam exiſtimarunt, aut ſaltem, vt SENNERTVS m) et HAHNIVS

id quod infra pluribus docere animus eſt. Aduerſarium nactus eſt longe doctiſſimum atque humaniſſimum, WERLHOFIVM, qui in *Diſquiſit. Medica et Philolog. De Variol. et Anthracib.* Hannouer. 1735. has antiquitates, niſi ſubruere, at ſaltem labefactare conatus eſt. Nec, vt nobis videtur, infeliciter, etſi ſuam quouis modo ſententiam a pernicie capitali vindicandam curavit *Hahnius* libris, qui inſcribuntur: *Carbo Peſtilens a Carbunculis ſ. Variol. Vet. diſtinctus*, Vratisl. 1736: *Variolarum Ratio*, Vratisl. 1751. et denique *Morbilli Variolarum Vindices*, Vratisl. 1753. quos omnes legiſſe poenitebit puto neminem.

l) In Epiſtol. ad calcem *Hahn. Carbon.* Peſtil. p. 4. ſeq.

ll) In *Opp.* Phyſico-Medic. Tr. II. c. 1. §. 9. p. 27.

m) L. cit. Vtitur in primis his argumentis, quod eadem illa cauſſa, quae hodie variolarum effectrix eſt, et apud Graecos Latinosque locum habuerit; quod Arabes huius morbi, tanquam noui, non meminerint; denique quod idem valitudinis aduerſae genus citra omnem diſſenſionis metum facile poſſit variam induere formam. Iam vero non quaerimus cauſſarum ſimilitudinem variasue formas, neque etiam τὸ δύνατον, multo minus infandam Arabum in commemorando ſocordiam curamus; ſed id vnum vellemus *Sennertus* demonſtraſſet, cur, ſi veteres id norant, ne verbulo quidem variolarum meminerunt. Qui ſi loca quaedam in promtu habuit, vnde *Hippocratis* reliquorumque medicorum ſagacitas elucefceret, malus profecto et omnium maxime inuidioſus aduerſus omnem poſteritatem erat, quod iis teſtimoniis non, vt alias ſolet, abuteretur ad veri vim intelligendam. Nam idem illud, quod *Hippocrates* eiusque ſucceſſores varia *febrium malignarum genera* commemorarunt, quae *cum punctionibus* ſunt, dilucida vero variolarum ſigna nusquam, certiſſimo eſt, vt nobis videtur, indicio, latuiſſe eos omnem earum naturam

NIVS solent, conferendis eorum locis, ingeniose magis, quam vere extorquent. Alii vero ab omni partium studio alieni, etsi non semper satis accurati, variolarum origines a solis Arabibus repetierunt, idque fecerunt prae ceteris Ill. REISKIVS n), RODERICVS *a* FONSECA o), HIER. MERCVRIALIS p), LISTERVS q), FVIRSTENAVIVS r), STAHLIVS s), MEADIVS t) CLERICVS u), FREINDIVS v), WERLHOFIVS w), et nuper demum SWIETENIVS ww), alii. Neque, quantum equidem video, iniuria.

Primum enim si variolarum natura et ortus tam bene constitit inter omnes, vt eius forma et curationis via lateret neminem, vnde, quaeso, tot

atque formam. Accedit, quod ipse *Sennertus* (l. c. p. 514.) paullo post primos appellat Arabes, qui hunc morbum diligentius pertractarunt. Quod si verum est, vt est, piaculo nobis esse videtur, iis primas denegare, quas ob accuratam mali huius descriptionem prae ceteris promerentur.

n) Diss. Miscell. Obseruat. Med. ex Arabum moniment. Obs. I. p. 9. seq. Lugd. Bat. 1746.

o) Consultat. Medic. I. Cas. 48. p. 322.

p) De Morb. Pueror. I. 2. p. 9. seq.

q) Disquis. De Variol. p. 2. sequ.

r) Desiderat. Medic. p. 158.

s) Diss. De Variol. et Morbill. §. 4. seq.

t) L. De Variol. et Morbill. p. 2. seq. in *Opp.* Med. T. I.

u) Hist. de Medec. p. 776.

v) Hist. Medec. Part. II. p. 203. seq. vbi multis demonstrauit non, nisi Arabibus huius morbi natales ac descriptionem deberi.

w) L. cit. c. 1. §. 2. p. 3. seq.

ww) Comm. in *Boerh.* Aph. p. 2. sequ. T. V. ed. *Hildb.* quem magnum clarissimumque virum prorsum nobiscum quoad variolarum origines, consentire, impense gaudeo.

tot omnis aeui medicorum diſceptationes profectae ſunt? Vnde tot de mali huius nomine ac genere, cauſis, ſignis et euentis, digladiationes incruentae dimanarunt, quales apud GENTILEM x), FERNELIVM y), HIER. MERCVRIALEM z) aliosque fere innumeros paſſim me legere memini, aut ſaltem intellexiſſe mihi videor? Vnde denique iſta diſſenſio, vtrum variolae cum febre ſint, nec ne, cum per tantam morbi huius antiquitatem ſcilicet facile ad perſpiciendum eſſet, qua potiſſimum via et ratione, id eſt, obſeruando, rixae illae dirimi et poſſent, et deberent? Noſtri enim homines vtrumque variis in morbis fieri poſſe largiuntur, adhibentque hanc in rem teſtimonia clariſſimorum medicorum, RACOVX a) ac GESNERI b), quorum alter morbos vidit cum eruptionibus ac ſine vlla febre, alter vero in eo alui profluuio, quod δυσεντερίαν appellant, febrim ſimiliter afuiſſe docuit; Id quod omnes olim, ac ipſe quoque PRINGLIVS, nobile illud Angliae totiusque medicorum ordinis decus et ornamentum, quadam neceſſitatis lege fieri oportere communiter dixerant. Quibus ſi alios vellemus adiicere, materia certe exemplorum nobis non videtur defutura.

Qua de re perperam agunt, qui in tantis rerum tenebris, quibus variolarum genus atque familia quaſi inuoluitur, ſibi videntur eſſe lyncei ceterisque

x) Ap. *Sennert.* l. c. p. 515.
y) L. cit.
z) L. cit.
a) Act. Heluetic. Vol. V. p. 289. et Vol. VII. p. 16. ſequ.
b) Beobachtung B. I. n. I. p. 20. ſequ.

terisque perſpicaciores. Aut enim norant veteres huius morbi naturam, aut non. Si norant, tunc ſane non video, qua de cauſa ad rixandum animos compoſuerunt, et cur

Bella geri placuit nullos habitura triumphos.

Sic vero aliter, non ſpero ſolum, verum etiam confido, qui temere iſtius inuenti gloriam iis dari concedique velit, fore neminem. Neque haec lis et controuerſia a negandi libidine proceſſiſſe videtur, neque ab veterum inſcientia, cum, quicquid eruditorum hominum ſecula XV. et XVI. tulerunt, HIPPOCRATEM, GALENVM, ceterosque latinos, graecos ac Arabes medicos nunquam fere de manibus deponerent. Immo vero ſic in magiſtri verba iurarant, vt cum ARISTOTELE atque GALENO ſuo haud raro errare, quam noua, eaque naturae ac veritati appoſitiora mallent amplexari. Quod ſi verum eſt, facile hinc colligitur, nuſquam ſtrenuos illos veterum ſcriptorum laudatores vllum variolarum veſtigium olfeciſſe, adeoque vel inuitos in iſtorum caſtra tranſire oportuiſſe, qui Arabibus mali huius natales deberi teſtibus idoneis freti ſatis ſuperque demonſtrarunt. Docti enim cuiusque viri eſt, in quavis re dubia, controuerſa et plena diſſenſionis aut iudicium prorſum continere, ne quid temere ac imprudenter fiat, aut ſaltem ab omni coniecturae ſtudio prorſus abhorrere, quoniam vſus eius plerumque fallax, lubricus, omniumque, ſi tandem ad approbationem ventum eſt, longe inconſtantiſſimus eſſe deprehenditur.

At

At vero quantopere in defendenda variolarum historia huic vitio viri docti indulserint, fugere puto posse neminem. Alii enim non, nisi leuem quantam nominis aut signi cuiusdam similitudinem desiderant. Sed eadem in re falluntur vehementer, siquidem tunc omnis disceptatio videtur superflua, neque tanti habenda, vt ad arma veniendum sit. Alii vero, quibus nihil praeclare dictum, nihil bene factum est, nisi veteres id habuerint prius, numos sibi, honores ac vitam ipsam eripi mallent, quam in suas hasce delicias tam iniuriosi videri. Hinc turpia in quosuis aliter sentientes male dicta aeternaeque inimicitiae. Hinc, vt olim VIRGILIVS c) simili in re,

Illi alternantes multa vi proelia miscent
Vulneribus crebris,

ac quaeque veterum scriptorum loca tormentis quasi eo adigunt, vt iis variolae, nisi nomine, at saltem signo quodam expressae videantur.

Magna sane mihi suppeteret exemplorum cohors, si hac in re multus esse vellem. At in solo confutando HAHNIO, cum is iam ad manus sit, et vndequaque ad vindicandas variolarum antiquitates argumenta sua corraserit, in praesentia rerum acquiescere lubitum est. Fuit hic, si quis alius, olim medicus apud Vratislauienses longe felicissimus, gratiosus, elegans, ac in veterum auctorum monimentis versatissimus, eaque de re sese hac in arena praestitit lectorem veterum scripto-

c) Georgic. III. v. 220.

rum assiduum, aduersarium strenuum, virum veri amantissimum. Sed mehercle ea est rerum humanarum conditio, vt, si quis sibi in litis feruore non satis caueat, facile incurrat atque offendat, eique hinc illud OVIDIANVM d) identidem accinendum sit:

Credule, quid frustra simulacra fugacia captas?
Quod petis, est nusquam; quod amas auertere, perdes.

Multa (fatebor enim) collegit scitu, lectu, commemoratuque dignissima, at vero, vt mihi videtur, debentur ea maximam partem coniecturis atque tormentis suis. Primum enim HIPPOCRATEM in suas partes trahere annititur, eumque vel maxime, cum in secundo morborum popularium libro e) morbos Cranone saeuientes describeret, per *ἄνθρακας variolas nostras* intelligi oportere censuit. Sed quis, quaeso, nostrum est tam lynceus, vt hic illa omnia, quae bonus HAHNIVS voluit, satis peruideat? Audiamus igitur ipsum, Coum senem: *"Ανθρακες ἐν Κρανῶνι θερινοί· ὗεν ἐν καύμασιν ὕδατι λαύρῳ δἰ ὅλȣ. ἐγένοντο δὲ μᾶλλον νότῳ, καὶ ἐπεγίνοντο μὲν ἐν τῷ δέρματι ἰχῶρες, ἐγκαταλαμβανόμενοι δὲ ἐθερμαίνοντο, καὶ κνησμὸν ἐνεποίεον. ἔιτα φλυκταινίδες, ὥσπερ πυριήκαυςοι, διανίςαντο, καὶ ὑπὸ*

d) Metamorph. III. v. 432.

e) Epidem. II. Sect. I. p. 684. T. I. ed. *Lind.* At *Foësius* (Sect. VII. p. 994.) legit ἐγένετο pro ἐγένοντο, ὑπεγίνοντο pro ἐπεγίνοντο, similiterque *Charter.* p. 118. T. IX. *Foësius* vero hic, vt vulgo mos est, ἄνθρακας θερινὰς, recte per, *carbunculos aestiuos*, vertit.

ὑπὸ τὸ δέρμα καίεσθαι ἐδόκεον. Carbunculi in Cranone aestiui. Pluebat in ardoribus aqua larga. Contingebat hoc per totum, et maxime ab austro: et subnascebantur quidem in cute sanies; dum autem intro concipiebantur, calescebant, et pruritum inducebant; deinde pustulae, velut ab igne inustae, excitabantur, et sub cutem vri sibi videbantur.

Nusquam hic, nisi me omnia fallunt, variolarum vestigium est. Primum enim hic ἄνθρακες precario sumuntur ab HAHNIO, idque praeter veterum auctorum fidem atque testimonium. Ἄνθρακες enim hic loci HIPPOCRATI nihil sine dubio sunt, nisi quod paullo post per, ἰχῶρες ἐν τῷ δέρματι et φλυκταινίδες, ὥσπερ πυρίκαυστοι, expressit, ita tamen, vt *anthrax*, tanquam genus, reliquae vero, tanquam species, habendae sint; aut ei etiam idem esse videtur, quod alias f), hisce verbis significarat,

f) Epidem. III. Sect. III. p. 725. T. I. ed. *Lind.* Coniunguntur hic varia eruptionum genera, φύματα, ἔξωθεν, ἔσωθεν, ἐπιφύσιες βλεφάρων f. σῦκος, ἄνθρακες, σήψ, ἕρπητες μεγάλοι, quae certe communi hoc nomine contineri possunt. Cf. *Foësius* ad h. l. p. 1086. seq. et in Oeconom. *Hipp.* in h. v. p. 186. *Galenus* certe Comment. II. in Epid. II. Text. 18. p. 138. T. IX. ed. *Chart.* ἐκθύματα circumscripsit per τὰ αὐτομάτως ἐξανθῆντα κατὰ τὸ δέρμα, ὡς καὶ ἐν τοῖς τῶν ἐπιδημιῶν γράφει, ἐκθύματα μεγάλα. *Pustulas dicit, quae sponte per cutem efflorescunt, vt etiam in libr. Epid. scribit, papulas magnas*, idque, vt vere animaduertit, ἐκ τοῦ ἐκθύειν. i. e. ἐξορμᾶν, exemplique loco adf. locum ex Epid. VI. vbi *Hipp.* λύσαι δ' ἂν ἑλκύδριον κάτω ἔκθυσις, τουτέστιν, ἐξόρμησις. *Soluet autem vlcusculum papula inferior* i. e. *eruptio.* Similiter in Comment. III. ad Epid. III. Text. 51. p. 278. T. IX. Dan.

rat, ἐκθύματα μεγάλα, φύματα g), ἐξανθήματα

Dan. vero *Sennertus* L. De Febrib. IV. 12. p. 510. ἐκθύματα sic appellari putat, vbi simul *pustularum eminentiorum in cute fit eruptio*, *Galeni* auctoritate fretus. *Ballonius* Epidem. I. p. 33. ea per *papulas Celsi* explicuit. *Gorraeo* denique in Definit. Medic. p. 96. videntur eadem esse, quae ἐξανθήματα. *Neque enim*, inquit, *harum vocum discrimen vllum comperi. Eius generis sunt tum, quae per febres ardentes exeunt, tum variolae vulgo dictae et morbilli.*

g) *Phymata* Praedict. II. §. 18. p. 501. Epid. III. Sect. III. p. 222. seq. T. I. ed. *Lind.* alia. De his *Galenus* Comm. I. in Epid. VI. Text. 13. p. 375. T. IX. Ἀπὸ τῶν ἐν τῇ γῇ φυομένων, οἱ ἄνθρωποι φύματα κέκληκασιν τοὺς παρὰ φύσιν ὄγκους, ὅσοι τοὐπίπαν ἄνευ τῆς ἔξωθεν αἰτίας γίνονται, μάλιστα δ᾽ ὀνομάζουσι οὕτω τὰ πρὸς τὸν ἐκτὸς τόπον ἐπαγόμενα. *Ab iis, quae ex terra progerminant, graeci homines phymata vocauerunt* h. e. *tubercula, eos praeter naturam tumores, qui prorsus sine caussa externa proueniunt, sed potissimum eos hoc nomine vocant, qui extra corporis superficiem extuberant*, cet. Praestat enim locum totum ipsum perlegere, quia et varia nomina, quae *Hipp.* h. l. cum phymatis coniunxerat, pluribus explicat, et variam tumorum istorum naturam, formam, locum, commemorat. Similiter a *Gal.* in Epid. II. Comm. II. Text. 22. p. 171. dic. ὁ τῶν χυμῶν συναθροισμὸς τὰ φύματα γεννᾷ. *Humorum congeries tubercula procreat.* Conf. *Paullus* L. De Re Med. IV. 22. p. 142. ed. gr. et p. 513. Coll. *Steph.* vbi *phyma*, *bubo* et *phygethlum glandulae morbi* appellantur. Hoc sensu etiam generatim apud *Hipp.* Epid. III. Sect. III. p. 725. T. I. ed. *Lind.* dicitur. Apud *Phauorinum* p. 610. ἔκφυμα est ἐξάνθημα, ἐκφῦναι, vero γεννηθῆναι, ἀναβλαστῆσαι. Iterum p. 1858. φῦμα expl. per ψώρα ἢ ἕτερον φῦμα. Apud *Pollucem* vero (Onomast. IV. 25. n. 3. p. 219.) φῦμα dicitur ἀπόστημα περιφερές, μικρὸν, πυῶδες κατὰ τὴν τομήν. Illud ad abscessus etiam retulerunt *Galenus* (L. De Febr. I. 7. p. 115. T. VII. et Introduct. c. 15. p. 388. T. II.) et *Oribasius* (Morb. Curat. III. 44. p. 634. Coll. *Steph.*) At vero apud *Hipp.* Aph. 20. L. III. summatim dicuntur φύματα, et continentur

ματα h), ἐκφύσεις i), ἔκθυσις ἑλκέων aut ἑλκυ-

 δρίων

nentur his ἀκροχορδόνες, σατυρίασμοι, χοιράδες cet. ad quem locum v. *Gal.* p. 122. T. IX. qui ſic etiam quasdam inflammationes ſponte ſua natas, in tumorem ſubito elatas et abſcedentes, appellari auctor eſt. Cf. *Heurnium* Comm. ad h. l. p. 265. Interdum etiam φῦμα apud magnum *Hippocratem*, vt Aph. 44. L. IV., eſt quisque articulorum tumor et abſceſſus. Omnium optime vocabuli huius vſum et ſignificationem expl. *Gorraeus* Defin. Med. p. 351. b. et *Foeſius* Oecon. *Hipp.* p. 668.

h) *Exanthemata.* Sic *Hipp.* Prorrhet. II. §. 49. p. 522. T. I. ad impetiginem, vitiliginem et leucen ſignificandam adhibuit voc. illud, neque pro abſceſſu, ſed morbo haberi voluit. Cf. Epid. I. Sect. II. p. 660. vbi ἐξανθήματα μικρὰ ταχὺ πάλιν ἀφανιζόμενα referuntur, et Aph. 9. L. VI. p. 98. T. I. ed. *Lind.* τὰ πλατέα ἐξανθήματα. Hinc *Galenus* ad h. l. p. 253. T. IX. ed. *Chart.* dicit exanthematum, vt phymatum, duo eſſe genera, *faſtigiata et lata.* Haec porro propter adiectionem *Hipp.* ὀ πάνυ κνησμώδεα (*non adeo prurientia*) nullo modo variolis noſtris reſpondent, ad verbum tamen Epid. VI. Sect. II. p. 801. T. I. ed. *Lind* repetuntur. Cf. *Gal.* Comment. in Epid. h. l. p. 415. T. IX. et *Paullus* L. De Re Med. IV. 8. p. 136. ed. gr. Baſ. 1538. et p. 506. Coll. *Steph.* Similiter in Coac. Praenot. p. 566. T. I. ſunt τὰ ἀμυχώδεα ἐξανθίσματα mali ominis, vt apud *Galen.* (Method. Medend. V. 12. p. 124. T. X. ed. *Chart.*) ἐξανθήματα μέλανα, quae in quodam peſtilenti morbo, iis acciderant, quicunque euaſuri erant. v. ibidem multa, quae ad cognoſcendam harum eruptionum naturam et indolem pertinent. Sed videamus ipſius verbi ſignificationes et vſus. *Galeno* (Exegeſ. Obſol. Voc. *Hipp.* p. 85. T. II. ed. *Chart.*) voc. ἄνθεα idem eſt. quod ἐρύθημα, et in Introduct. c. 15. p. 388. T. II. ſub nomine τῶν εἰς τὴν ἐπιφάνειαν ἐξανθούντων etiam comprehenduntur *leuce, alphos, lichenes, lepra.* Hinc in Coac. Praenot. p. 564. T. I. *Hippocrates* προσώπου ἄνθη eleganter dixerat. Apud *Phauorinum* (Lexic. p. 198. ed. *Cammer.*) ἐξάνθημα deducitur παρὰ τὸ ἄνω θεῖν ἐν τῷ αὐξάνεσθαι, et add. ἄνθος κατὰ μεταφορὰν καὶ τὸ χρῶμα, ſicut et apud *Sophoclem*

ἐνθισμένον

ἠνθισμένον pro κεχρωματισμένον eſt. Et iterum p. 671. ἐξανθῆσαι per ἐκζέσαι explicat. Apud *Aretaeum* (De Sign. et Cauſſ. Acut. Morb. I. 9. p. 7. ed. *Boerh.*) memini διεξανθήματα μικρὰ, ἀραιὰ, de oris vlceribus quae vulgo *aphthas* dicunt, nuper me legere. Similiter ab *Hipp.* (Aph. 20. L. III.) generatim ἐξανθήσιες pro quauis puſtularum eruptione dicuntur. *Dioſcorides* vero (Parabil. I. 105. p. 27. ed. *Sarac.*) has coniunxit cum reliquis vlceribus, quae in cute capitis naſci ſolent. Et iterum c. 106. occurrunt ἐξερυθρὰ ἐξανθήματα, quocum conſentiunt *Alexander Trallianus* (L. I. 9. p. 16. ed. *Guinth.* et L. II. 5.) qui ἀχῶρες et ἐξανθήματα, nec non ψυδράκια conſociauit, et ipſe *Archigenes* apud *Galenum* (Compoſit. Medic. ſec. Loc. I. 8. p. 348. T. XIII.) qui coni. ἀχῶρες, ἐκζέσματα, ἐξανθήσας μετ᾽ ἑλκώσεως, atq. l. c. p. 464. *exanthema* dic. *commune nomen eſſe quarumcunque affectionum vlceroſarum et aſperarum in mento ſua ſponte prouenientium.* Cf. *Oribaſius* Med Collect. X. 27. p. 399. et Loc. Affect. Cur. ad *Eunap.* IV. 52. p. 652. Coll. *Steph.* in primis vero Synopſ. VII. 7. p. 105. et Morb. Cur. III. 21. p. 626. expreſſe referuntur *exanthemata in vlcerum numero vna cum phlyctaenis.* Similiter *Moſchion* περὶ γυναικ. παθ. p. 22. Gynaec. T. I. ed. *Wolf.* ἐξανθήματα, φλυκτίδες σὺν ὑγροῖς ἕλκεσιν in puerorum morbis poſuit, neque tamen curationis via, quam docet, variolarum naturae accommodata vllo modo eſt. Vſus etiam hac voce ſemel eſt *Ariſtoteles*, (Hiſt. Animal. III. 11. p. 257. T. II. ed. *Du Vall.*) tanquam genere, cuius quaedam ſpecies λευκὴ ſit, in ſignificanda exprimendaque vitiligine, atque deduxit quoque haec exanthemata *Theophraſtus* (L. De Sudoribus p. 457. ed. *Heinſ.*) ex labore atque ſudoribus, vbi praeter haec ſimiliter ſimili in re adhibentur ἐκκρίνεσθαι, ἐξαιρᾶσθαι, ἔκκρισις, ἡ ἔξωθεν κίνησις, ἐπάρσεις, et vniuerſe τὰ ἐξαιρόμενα. Apud *Plutarchum* vero (Sympoſ. VIII. Qu. 9. p. 733. T. II. ed. *Xyl.*) eleganter ἐξήνθηκε de perturbationibus animi dicitur. Tandem *Gorraeus* Definit. Med. p. 109. b. ſic: ἐξανθήματα, *papulae. Sunt eruptiones leues humorum per cutem: ſed illae diuerſorum omnino generum ſunt. Nam et* φλυκταίνας, *et* ψυδράκια, *et* ἐπινυκτίδας, *et* λαχῆνας, *et alia multa tumorum genera comprehendunt.* Omnium autem optime *Foëſius* Oecon. *Hipp.* p. 213. ſequ. Hinc *exanthema* ſecundum *Dan. Sennertum* (Prax. Med. V.

δρίων k) ἵδρωα kk) cet. Similiter apud latinos *papulae, puſtulae, eruptiones* l), appellantur. Repugnant

P. I. c. 22. p. 113. commune quarumuis eruptionum nomen eſt. Nec profecto iniuria. Similiter *Swietenius* Comm. in *Boerh.* Aph. 723. p. 397. T. II. ed. *Hildb.*

i) Ἐκφύσεις. Sic paſſim ap. *Hippocratem.* Explicat vero *Phauorinus* l. c. ἔκφυσιν per βλάστησιν, γονὴν, ἀπογέννησιν, ſumiturque haec vox, vt recte illi videtur, de plantis, pilis et lapidibus creſcentibus. Hinc apud *Aelian.* (Var. Hiſt. I. 34. p. 22. ed. *Scheff.*) ἐκφύσεις πικραὶ, et apud *Aretaeum* (L. De Sign. et Cauſſ. Morb. Diut. II. 13. p. 71. ἐκφύσεις τῶν κεράτων de elephante dicuntur.

k) In Coac. Praenot. et Epid. VI. Sect. I. p. 798. T. I. ed. *Lind.* vbi videatur *Galenus*, cuius locum ſupra iam adduximus. Cf. ſi placet, *Foëſius* Oecon. *Hipp.* p. 186.

kk) Ἵδρωα. Sic *Hipp.* Aph. 20. L. III. Cf. *Galenus* ad h. l. p. 116. T. IX. vbi τὰ ἵδρωα dicuntur eſſe τῶν κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν ἐξανθημάτων, ἑλκωδῶς τραχύνοντα τὸ δέρμα. *Sudamina e genere exanthematum quae in cutis ſuperficie efflореſcentia vlcerum ore cutem exaſperant.* Cf. *Gorraei* Defin. Med. p. 142. b. et *Foëſii* Oecon. *Hipp.* p. 278. At *Trillero* V. Cl. videntur haec ἵδρωα fuiſſe *papulae miliariae*, in Epiſt. ad Cl. *Molinarium* De Exanth. Miliar. Different. p. 317. T. II. Opuſcul.

l) Communis videtur apud latinos horum vocabulorum vſus atque ſignificatio eſſe. Sic enim apud *Virgilium* (Georg. III. v. 564.) in peſtilentiae deſcriptione

Ardentes papulae, atque immundus olentia ſudor
Membra ſequebatur.

Similiter apud *Celſum* (L. De Medicin. V. n. XV. p. 336. ed. *Krauſ.*) atque *Plin.* (Hiſt. Nat. XX. 20: XXII. 25: XXIII. 9:) *Scribonius Largus* autem (De Compoſit. Medicam. c. 98. p. 234. Coll. *Steph.*) ſcripſit, *ad papulas in capite efferueſcentes, vel qualibet parte corporis totius porriginem; Marcellus* denique (L. De Medicament. c. 4. p. 256. vno eodemque loco coniunxit, *porrigines capitis, pruritum, ſcabiem, papulas in capite efferueſcentes, vel qualibet corporis parte.* Nec abſimiliter

gnant praeterea deſcriptiones GALENI[ll]), PAVLI[m]) aliorumque, quibus ἄνθραξ eſt ἕλκος ἐσχαρῶδες, ἅμα πολλῇ τῇ τῶν πέριξ σωμάτων φλογώσει, (*vlcus cruſtoſum cum multa ambientium corporum incenſione*) aut etiam per ὄγκος ἑλκώδης ἐκ τῦ μελαγχολικωτέρυ σαπέντος αἵματος, *tumor vlceroſus ex magis melancholico putridoque ſanguine*, cet.

Deinde mirari ſatis non poſſum, quid ſit, quod HAHNIVS ſe illo nomine, φλυκταινίδες,

liter *Caelius Aurelianus* (Morb. Diut. V. 1. p. 553. ed. *Amman.*) de artificioſa puſtularum eruptione, quae fit ſinapis miniſterio, vſus eſt voc. *puſtulatio*, *quo cutis ſuperficies puſtuleſcat* cet. Omnium vero optime horum verborum vſum vulgarem communemque explicuiſſe cenſendus eſt *Seneca*. Sic enim ille L. De Beata Vita, c. 27. p. 369. T. I. ed. Lipſ.: *Obſeruatis papulas alienas, obſiti plurimis vlceribus. Hoc tale eſt, quale ſi quis pulcherrimorum corporum naeuos aut verrucas derideat, quem foeda ſcabies depaſcitur.* Hic enim ſine dubio papulae leuis quaedam cutis eruptiones ſunt. Cui loco ex aſſe reſpondet ille L. De Ira c. 43. p. 99. T. I. At vero in Epiſt. LXXII. p. 233. T. II. occurrunt *eruptiones quaedam puſtularum et vlcuſcula*, vbi ſimul explicationis gratia additur: *Nullum in alto malum eſt.* Generatim vero veteres etiam vſi fuiſſe videntur voc. *maculae*, vt ex *Caelio Aureliano* (Morb. Diut. II. 5. p. 378.) patet. Ibi enim in catalepſis ſignis ſunt, *ſudoris ignei defluxio, maculae emergentes in thoracem atque vultum, et primo rotundae in ſimilitudinem vlcerum, quae* ἴονθυς *appellant.* Alio vero loco (Morb. Diut. III. 6. p. 461.) malo corporis habitui etiam *maculas in ſuperficie corporis accidentes* attribuit.

ll) In Definit. Medic. n. 384. p. 272. T. II. ed. *Chart.* et paſſim aliis in locis, quae *Hahnius* collegit ſedulo ad opinionem ſuam defendendam.

m) L. De Re Medic. IV. 25. p. 143. ed. gr. Baſil. et p. 514. Coll. *Steph.*

νίδες, *ὥσπερ πυρικαυστοι*, in errorem induci passus sit. FOESIO [n]) enim iudice, non, nisi mutato nomine, idem sunt, quod alias *φλυζάκια*, et *ψυδράκια* dixerat HIPPOCRATES, similisque ratio *pustularum* esse videtur, quas CELSVS [o]) aut per *ἐξανθήματα* explicat, eaque iis similia, *quae ex vrtica vel ex sudore nascuntur*, aut etiam *φλυκταίνας ἑλκώδεις* appellat, easque *a frigore, vel ex igni, vel ex medicamentis fieri* auctor est. Sunt enim *φλυκταινίδες*, *ὡς πυρικαυστοι*, si ad verbum vertas, *velut in vstionibus ab aqua feruida*, vt Ill. TRILLERVS [p]) ingeniose accommodateque rei explicuit.

Quae magni viri coniectura si vera est, vt est, modo similem HIPPOCRATEVM [q]) locum reputes, vbi *αἱ ἀπὸ καυμάτων ἐπεγειρόμεναι φλυκτίδες* leguntur, simulque memineris, apud ALEXANDRVM [r]) coniungi *φλυκτίδας φλυκταίνας, ἄνθρακας*, solere; facile colligitur, carbunculos istos *febri nostrae vrticatae*, aut si mauis, *febri cuidam putridae cum eruptionibus* satis respondere. Fuit enim id mali genus Cranone sine dubio perquam frequens et haud raro exitiosum, vt GALENVS [s]) litteris

n) Ad h. l. p. 995. et Oecon. Hipp. p. 663. Cf. *Gorraei* Definit. Med. p. 349. b. vbi similiter eadem esse dicuntur.
o) L. De Medicin. V. 28. p. 336. ed. *Krauf.*
p) In Epist. I. ad calc. *Hahn.* Carb. Pestil. p. 9. sequ.
q) L. De Humorib. §. 2. p. 316. T. I. ed. *Lind.*
r) De Medic. II. 5. p. 140. ed. *Guinth.*
s) In Epid. I. Comm. I. Text. I. p. 13. T. IX. ed. *Chart.* Male hic *Hahnius*, *καὶ*, adiecerat. *Galeno* enim teste, carbunculi isti ex putridorum morborum numero sunt; quod an vere variolis nostris accommodatum sit, vehementer dubito.

litteris reliquit consignatum. Ἡ Κράνων, inquit, ἐν κοίλῳ καὶ μεσημβρινῷ χωρίῳ κειμένη· καὶ διὰ τοῦτο μάλιστα σηπεδονώδεσι νοσήμασι, τοῖς ἄνθραξιν ἁλοῦσα. *Cranon in loco concauo et meridionali sita est, quae ob id putridis morbis potissimum, vt carbunculis, infestatur.* His accedunt aestus vehementia, pluuiae continuae et copiosae, austri flatus, quae quidem omnia morbi publici atque popularis aut praenuncii, aut saltem comites sunt.

Hinc equidem negare non ausim, fuisse hunc morbum ex eo genere, quod cum papulis pustulisue est; Sed an variolae istae fuerint, id est, de quo vehementer dubito. Solent enim ea nec eodem modo apud nos, quo ab HIPPOCRATE describuntur, homines inuadere, nec facile, nisi sint omnium longe pessimae, solent aestate prouenire. Tantum non semper tunc temporis factis induciis, sese quasi quieti dant, et versus autumnum demum recrudescunt, id quod longe aliter euenit apud HIPPOCRATEM.

Sed restant adhuc alia, quae nos impediunt, quo minus HAHNIO adsentiamus. Prius enim in cute orti sunt ἰχῶρες, quos GALENVS [t]) non per τὸ λεπτὸν καὶ ὑδατῶδες αἷμα, sed per τὸ μετά τινος ἰώδους καὶ κακοήθους δυνάμεως (*tenuem et aquosum sanguinem, sed eum, qui venenosa aliqua et maligna facultate praeditus sit*) explicandos censuit. Quorum materia cum per sueta spiracula intus delapsa

t) In Epid. VI. Comment. II. Text. 43. p. 424. T. IX. ed. *Chart.* similiterque *Plato* in *Timaeo*, cuius verba *Galenus* adduxerat.

lapſa eſſet iterumque ad cutim deriuata, calorem, pruritum, puſtulasque quaſi igneas effecit: Id quod in noſtris variolis vltimo tandem haud raro euenit. At vero in *petechiis*, et *purpura* fit, vt haec ſigna ipſas papularum macularumue eruptiones praecedant. Videtur tamen, ni totus fallor, Cous ſenex hoc valitudinis genus inter *καύσους* et *πυρετοὺς ἀνιδρῶτας* retuliſſe; VALLESIVS [u]) vero ad *febres acutiſſimas;* HIER. MERCVRIALIS [v]) denique in ſententiam quamuis aliam deſcendiſſe, vt in re obſcura nec ſatis definita fieri ſolet. Omnem ſaltem mouiſſe lapidem videtur HAHNIVS [w]), vt, quocunque demum loco *ἐξανθήματα, ἀποστάσιες, τὰ ὑπὸ δέρμα ἀφιστάμενα ἐς τὸ ἔξω φύματα, καὶ τὰ ἐκπυοῦντα, ἀποστάσιες ἀθρόως ῥεύσασαι, ἕλκεα κρίνοντα πυρετοὶ καὶ φύματα*, cet. occurrant, vbique lynceis quaſi oculis variolarum veſtigia videat, etſi eum nullo modo latere potuit, quod HIPPOCRATES [x]), ipſe *febres diuturnas per φύματα ſolui* ſimiliter dixerat.

Quod autem proprie ad *carbunculos* attinet, quos HAHNIVS [y]) pro variolis habendos eſſe cenſuit, non poſſum non iterum in quamcunque aliam

u) Comment. in *Hipp.* Epid. II. Sect. I. p. 83. ſequ.

v) Praelect. in h. l. ni fallor.

w) Variolar. Antiquit. c. 1. §. 16. p. 17. ſequ.

x) Aph. 63. L. VII. p. 107. ed. *Lind.* T. I.

y) Variol. Antiquit. c. 2. §. 18. p. 20. ſeq. et Carb. Peſtil. p. 11. ſequ. vbi per quosque fere veteres ſcriptores, ſiue ſint medici, ſiue hiſtorici, graſſatus eſt ad omnes omnino centunculos colligendos atque hanc carbunculorum notionem vberius defendendam.

aliam sententiam ingredi. Apud HIPPOCRATEM [z]) enim idem sunt, quod ἐξανθήματα, atque repetuntur, quoad caussam, similiter, vt phyma, ex pituita, quod, CELSO [a]) teste, est *tuberculum furunculo simile, sed rotundius et planius, saepe etiam maius*. Secundum GALENVM [b]) vero *carbunculus est cum* et *sine pustula*; qua rupta, vlcus cum crustra oritur; Interdum vero multae pustulae paruae milii similes (φλυκταίναι ὥς τινες κέγχροι) progignuntur, exitus autem idem est. In carbonibus iis, qui Asiam populariter infestabant, nullae aderant pustulae; nonnullis statim cutis vlcerata est, color autem vlceris cinereus aut niger, inflammationes contra profundae fuerunt, eosque tumores scarifari vult. Quis nostrum illud remedii genus vnquam in variolarum curatione adhibendum duxit? Quis nostrum variolarum origines ex sanguine melancholico repetere ausit, vt GALENVS [c]), ORIBASIVS [cc]), SEVERVS apud AETIVM

z) Epid. III. Sect. III. p. 722. T. I. ed. *Lind.* Cf. *Foësii* Oecon. *Hipp.* p. 61. sequ.

a) L. De Medicin. V. 28. n. IX. p. 325. ed. *Krauf.*

b) Method. Medend. XIV. 10. p. 330. T. X. Duas vero eius species constituit Method. Medic. ad *Glaucon.* II. 1. p. 369. T. X. quae profecto non satis respondent nostris variolis. Item Introd. n. 337. p. 269. T. II. expl. per *crustosam vlcerationem cum pastu et fluxu*, interdum vero etiam *cum bubone ac febre.* Nec haec satis conveniunt. Cf. L. De Tumorib. c. 6. p. 317. T. VII. Denique Comm. II. in Epid. III. Text. 12. p. 261. T. IX. *carbunculos semper periculosos* iudicauit. Nec illud, vt nobis videtur, satis vere variolisque nostris apposite.

c) Ap. *Aëtium* Tetrabl. IV. Serm. II. 58. p. 725. Coll. *Steph.*

cc) Synopf. VII. 12. p. 107. Coll. *Steph.* et Morb. Curat. III. 27. p. 628.

AETIVM d), PAVLLVS e), aliique in anthracibus describendis fecerant? Quis denique in tanta signorum dissimilitudine similem sibi morbum fingat?

Huc accedit, quod ex PLINII f) fide *carbunculus primum in Italiam venit*, L. PAVLLO *et* Q. MARCIO *censoribus — peculiare Narbonnensis provinciae malum: quo duo consulares obiere condentibus haec nobis eodem anno*, IVLIVS RVFVS, *et* Q. LECANIVS BASSVS, *ille medicorum inscitia sectus, hic vero pollice laeuae manus euulso, acu ab semet ipso, tam paruo vulnere, vt vix cerni posset. Nascitur*, pergit ille, *in occultissimis corporum partibus, et plerumque sub lingua, duritia rubens varicis modo, sed nigricans capite, alias liuida, corpus intendens, neque intumescens, sine dolore, sine pruritu, sine alio, quam somni indicio, quo grauatos in triduo aufert, aliquando et horrorem adferens, circaque pustulas paruas, rarius febrem; stomachum faucesque cum inuasit, ocyssime exanimans.* — An hoc in loco etiam variolarum imago latet? Equidem vix crediderim. Non enim probabile est,

d) Tetrabl. II. Serm. III. 30. p. 311. e) L. cit.

f) Hist. Nat. XXVI. 1. et *Alexander Trall.* II. 7. p. 154. ed. *Guinth.* Cf. *Werlhofii* Disquisit. c. IV. §. 13. p. 114. quem locum egregie tuitus est contra *Hahnium.* Immo vero ne carbunculi quidem notio satis certa est apud recentiores medicos, vt, qua ratione eos testes adducere potuerit *Hahnius*, prorsus non videam. *Valescus* enim *de Taranta* (Philon. Chirurg. c. 4. p. 626. ed. Frft.) vbi variolas ac morbillos seorsim pertractarat; *Sunt etiam*, inquit, *qui hunc affectum ignem sacrum vocant, anthracem et ignem Sancti Antonii, quod pro remedio ad ipsum recurratur.*

est, si morbus ille iis aut similis fuisset, aut saltem infantibus tenellis proprius quasique familiaris, nusquam veteres eius rei facturos fuisse mentionem. Sed haec de carbunculis sufficiant.

Ex iis enim, quae adhuc commemorauimus, facile colligitur, ἄνθρακας apud veteres modo generatim adhiberi sic, vt quoduis ἐξάνθημα prauum exprimant, modo etiam soli carbunculo pestilenti deberi. At vero qua ratione HAHNIVS in quibusque veterum scriptorum locis variolas inuenerit, prorsum me ignorare fateor. Vbique enim certa et indubia signa desideres, quippe non, nisi id exinde sequitur, eiusmodi vlceribus varia in variis corporibus loca esse obnoxia. Sin vero cuius interest plura in vtramque partem proposita hoc de argumento nosse, adeat, quaeso, ipsum HAHNIVM atque WERLHOFIVM.

Id vnum silentio praetereundum non est, MELCH. SEBIZIVM g) olim etiam τὰ ἐκθύματα μεγάλα pro *variolis* venditasse, neque simul meminisse, ab HIPPOCRATE quoque quoddam erysipelatis genus commemorari, quod cum paruis malique moris pustulis sit; quae sane signa cum nostro *erysipelate vesiculoso* magis, quam variolis conueniunt. Et quam immemores isti variolarum vindices illius apud GALENVM h) sunt: Ὁ μὲν Ἱπποκράτης ἓν τῶν ὁμοειδῶν εἰπὼν, ἡμῖν ἐπιτρέπει τὰ λοιπὰ τὰ τὴν αὐτὴν ἐκείνῳ δύναμιν ἔχοντα, προσι-

g) Diss. De Variol. et Morbill. II. 9.

h) L. De Element. I. 3. p. 7. T. III. ed. *Chart.*

προςιθέναι τῷ λόγῳ. HIPPOCRATES *ſi quando vnum quippiam ex eorum numero proferat, quae eandem naturam continent, reliqua deinde, quae eandem vim habent, nobis ad rationem addenda reliquit!*

Magna hinc cautio adhibenda eſt, ne forte temere incurramus, aut Coo ſeni adfingamus, quae nusquam ſunt. Fac enim, variolas hisce in locis ad viuum expreſſas eſſe, qui factum eſt, vt GALENVS, ſummus ille medicinae Hippocrateae admirator et vindex acerrimus, hic tantopere caecutiret, vt ne verbulum quidem hac de re proferret? Vnde, amabo, tam foeda et inaudita ſeculorum priſtinorum inſcientia dimanauit, vt nullus medicorum hoc commune peſſimumque morbi genus vnquam commemoraret?

At, inquiunt, mali huius naturam perſpectam atque cognitam habuerunt et HIPPOCRATES et omnes omnino veteres medici, nullo tamen certo adhibito nomine. Egregie profecto, quaſi priſcorum hominum monimenta eſſent cerea, quibus, quodcunque velis, adfingere et allinere poſſis. HIPPOCRATES enim noſter ſine dubio valitudinis huius naturam bene ac fideliter expreſſiſſet, ſi ſuo iam tempore aut ſaepius, aut ſemel ſaltem, infantilem aetatem puerosue infeſtaſſet, praeſertim quoniam id genus morbi populares tantum non ſemper ab initio immaniter ſaeuiunt ſtragibusque ſunt horrendis celebres. Iam vero cum Cous ſenex ex GALENI[i]) mente ὡς τεχνίτης τεχνί-

i) L. Difficult. Reſpir. II. 7. p. 255. T. VII. ed. *Chart.*

τάις suos libros scripserit, omniumque maxime βραχύλογος sit, facile colligitur, ex his coniecturis nullam gloriam nec auctori illi, vnde tua repetenda putas, nec ipsi eius laudatori accedere vnquam posse, quippe hinc facillima porrigitur errandi fallendique copia. Nituntur enim istae haud raro lubrico minusque firmo fundamento. Quod si sustuleris, tunc actum est illico de variolarum antiquitate.

Neque etiam audiendi sunt, si qui studiosius alia veterum scriptorum loca anquirant ad nouum hoc valitudinis aduersae genus propugnandum. Non me latet, (fateor) ORIBASIVM k) alicubi *pustulas* quasdam commemorasse, *quae circa pueri cutem oriuntur.* Attamen cum nusquam fiat febris adiunctae mentio, videntur certe pro eiusmodi eruptionibus habendae, quales hisce homunculis saepenumero accidunt sine vllo vitae sanitatisue periculo. Eadem est ratio, cum apud AETIVM l) in eorum morborum numero, qui pueros infestant, etiam collocantur *pustulae et papulae, instar bullarum efferuentes, et humida vlcera in cute, quae bubastica vocant.* (καὶ ἐξανθήματα καὶ φλυκταίναι, καὶ κάθυγρα ἕλκη κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν γίγνεσθαι, ἃ καλοῦσι βουβαστικά.) At vero tantum abest, vt ista ἕλκη βουβαστικὰ, quae paullo post τὰ τοῦ βουβάστεως ἕλκη apellat, cum PETITO m), SALMASIO

k) Synops. V. 6. p. 76. Coll. *Steph.*

l) Tetrabl. I. Serm. IV. 21. p. 177. Coll. *Steph.* et ed. gr. *Ald.* L. IV. 21. p. 68. b.

m) Comment. in *Aretaeum* p. 150. ed. *Boerh.*

MASIO n), FABRICIO o), atque HAHNIO p) pro variolis habenda existimem, vt etiam hoc nomine quaeuis alia infantum vlcera magna et praehumida nobis significari videantur, id quod iam praesenserat magnus WERLHOFIVS q). Nomen enim illud sine dubio a BVBASTO, vrbe Aegyptia, deductum est, itaque regio ex ARETAEI r) ac HIRTII s) fide infensa valitudini fuit ob annuas Nili inundationes, cuius *aqua adeo est limosa atque turbida, vt multos variosque morbos efficiat.* Hinc bene olim VIRGILIVS t):

Qua Pellaei gens fortunata Canopi
Accolit effuso stagnantem flumine Nilum.

Hinc Aegyptia tellus, necesse est, laboraret vlcusculorum oris, quae ἄφθαι dicuntur, vbertate ac inclementia sic, vt ARETAEVS quaeuis exinde vlcera magna αἰγύπτια καὶ συριακὰ ἕλκεα existimaret appellanda. Quare perperam mihi agere videntur, qui sibi hoc in AETII loco iterum variolas legi malunt, quam quoddam cutis vitium aut aphthis simillimum, aut etiam illi vlceris generi perfecte respondens, quod apud GALENVM u) et ORIBASIVM v) νομὴ, apud ARETAEVM

n) Ap. *Petitum* l. cit.
o) Ap. *Hahnium* Carb. Pestil. c. 6. §. 58. p. 50.
p) Variol. Antiquit. c. IV. §. 42. p. 52.
q) De Variol. et Anthracib. c. 1. §. 3. p. 4.
r) De Sign. et Cauff. Acut. Morb. I. 9. p. 8. ed. *Boerh.*
s) De Bello Alexandrino ap. *Caesar.* c. 5.
t) Georgic. IV. v. 287.
u) Ap. *Aët.* Tetrabl. II. Serm. IV. 39. p. 389. Coll. *Steph.*
v) Locor. Affect. Curat. IV. 68. p. 665. Coll. cit.

TAEVM vero [w]) ἐσχάρα dicitur. Ecquis, quaeso, similiter, vt HAHNIVS, dubia in re ad PROSPERI ALPINI [x]) auctoritatem, tanquam anchoram sacram, confugeret? Qui cum recentior multo sit, quam vt tuto ei fidem in rebus antiquis habere liceat, nihil profecto, nisi τὸ δύνατον approbat, argumenti huius testis haud satis locuples atque idoneus, praesertim cum AETIVS hoc aegrotationis genus ex prauo cibo repetat. Nam si ita fas est argumentari, ἄνθρακες αἰδοίων apud HIPPOCRATEM veteresque medicos etiam respondere possunt *buboni venereo*, similiterque ἕλκεα, ἑλκύδρια, ἔκθυσις ἑλκυδρίων, ἐξανθήσιες ἑλκώδεις, quolibet modo explicaremus necesse est, aut vel vltra ipsa HIPPOCRATEA tempora extenderemus. Quod si non est iniuste cum veterum scriptorum monimentis agere, quid tandem sit, iuxta cum ignarissimis ignoro. Neque etiam, quare suas in partes PAVLLVM [y]) HAHNIVS trahat, video. Ille enim carbunculos a mala quadam sanguinis natura et indole (τȣ̃ αἵματος μελαγχολικωτέρȣ γιγνομένȣ καὶ ζέσαντος) proficisci censuit, vt omnes antecessores iam fecerant. Id quod pueris aut perraro, aut nunquam inest. Deinde, eodem auctore, ista vlcerum genera (ἕλκη ἐσχαρώδη) partim sine vlla febre sunt, partim adiunctas habent φλυκταίνας λεπτὰς, καθάπερ

κέγχρȣς

w) L. cit.

x) De Medicina Aegypt. c. 13. p. 23. et c. 14. p. 24. Cf. *Petiti* Comment. ad *Aretaeum* l. c.

y) L. De Re Medic. IV. 25. p. 65. Coll. *Steph.* et ed. gr. Basil. p. 143.

κέγχρους τινας, quarum color multipliciter a se differat, cet. Quae si attente legeris, nusquam inuenies variolarum vestigia. Sed fingamus, PAVLLVM hoc loco eas viuis depinxisse coloribus, vnum id tamen dubium relinquetur, acceperitne hanc crudelissimi morbi imaginem ab Arabibus, an primus obseruarit? Iam vero illud fieri nullo modo potuit, quoniam hanc sibi profecto gloriam silentio suo non eripi passus esset; neque etiam a priscis medicis per manus quasi traditum illud malum acceperat, quia tot seculis post haec variolarum natura, caussa et curationis via exactior sine dubio pleniorque fuisset: Neque denique Arabibus in acceptis ferenda videtur, quia, si norat eorum hac in re praestantiam, nec commemoraret tamen, magni probique viri nomine profecto esset longe indignissimus. Ex his (puto) satis elucescit, et veteres omnes, et PAVLLVM ipsum, latuisse prorsum variolarum notitiam.

Difficilis profecto ac ardua res est, si in argumento tam obscuro et lubrico feliciter versari velis, nec, nisi stata verborum significatione, quibus id genus morbi exprimitur, lis atque controversia dirimi poterit. At, bone deus! quantopere hic multorum caligant oculi! Promiscue enim illis abusi sunt veteres. Sic enim apud AETIVM z) ἐκζέματα sunt *pustulae, quae in toto corpore fiunt, dolorem inducentes citra saniei collectionem,* a quibus iterum differre videntur *pustulae exulcera-tae,*

z) Tetrabl. IV. Serm. I. 128. p. 670. Coll. *Steph.* et ed. gr. p. 71.

tae, *vlcerosae papularum eruptiones*, etsi curationis via et ratio fere est eadem. Similis ratio *pustularum* et *papularum* est, quarum CELSVS [a]) meminit, vt supra iam demonstrauimus. Nusquam enim commemorantur febris, inflammatio, ceteraque variolarum signa, nisi velis verba illa, *vel ex igni*, per Graecorum morem pro πῦρ (*febris*) accipere.

Neque φλυζάκιον satis cum variolis nostris conuenit. Φλύζειν enim secundum HESYCHIVM idem, quod ἀναζεῖν est, et HIPPOCRATES [aa]), cum illa in febribus continuis per totum corpus erumpere docuisset, statim addidit, ea esse mortifera, nisi suppuratio fiat, maximeque pone aures. Id quod an variolis nostris satis respondeat, aliis ad iudicandum relinquimus. GALENVS [b]) vero *psydracia* explicat *per parua tubercula facta in capite*, *similia vesicis eminentibus in superficie*, *exanthemata vero* per *vlcerationes factas in summa cutis subrubicundas et asperas*: Id quod sane hodie multo aliter accidit. Neque etiam veterum ἐπινυκτίδες variolae nostrae sunt, vt aduersariis videtur, quippe illae, auctore CELSO [c]), *pessimae sunt pustulae*, *et subito*, *atque fere noctu*, *oriuntur*.

Huc

a) L. De Medicin. V. 28. p. 336. ed. *Kraus*. vbi plura id genus malorum nomina explicantur sic, vt ea pro variolis ipsis habere nequeas.

aa) Coac. Praenot. p. 530. T. I. ed. *Lind*. Cf. *Foësii* Oecon. *Hipp*. p. 663.

b) Parabil. Medicam. II. 1. p. 604. T. X. ed. *Chart*. et in Exeges. Obsol. Voc. *Hipp*. p. 186. T. II. idem, quod ψυδράκιον est. Cf. *Gorraei* Defin. Med. p. 349. b.

c) L. De Medicin. V. 28. n. XV. p. 336. Cf. hic etiam *Gorraeum* l. c. p. 115.

Huc accedit, quod, cum magna Graecorum in ſculptura atque re ſtatuaria vis atque gloria ſit, variolarum autem virus haud raro tam immaniter ſaeuiat, vt facies per omnem vitam reliquam deturpata ſit cicatricibus foedis, foueis, et id genus vitiis aliis, nunquam iſtae formae a veteribus aut commemorantur, aut exprimuntur. Fieri enim illud facile cum debebat, tum poterat, quoniam apud ORIBASIVM d) memini me legere *cicatrices, quae ex impetigine fiunt.* Et deſcripſiſſent profecto veteres, niſi hoc valitudinis aduerſae genus eos prorſum latuiſſet; Aliter enim ſe geſſerunt multis ſeculis poſt RHASES e), MVSEGA quidam f), AVICENNA g), MESVE h) alii. Neque abſimilis eius fuit opinio, cuius gloſſas manuſcriptas ad Alexandrum Iatroſophiſtam conſignatas reliquit CAR. CANGIVS hh). *Species turpedinis,* inquit ille, *quam vulgo variolas dicit Conſtantinus Africanus L. II. Pantechn. c. 14. Variolae ſunt multae puſtulae in toto corpore aut ex maiori parte diſperſae, aut in vno membro, in aliis non. Antiqui vocant has* ignis carbones, *Siculi* filias ignis. *Marius Auentic. Hoc anno morbus validus cum profluuio ventris et variola Galliam Italiamque valde afflixit* cet. Praeclare ſaltem hoc argumento,

d) Curat. Morb. III. 36. p. 631. Coll. *Steph.*

e) Ad *Almanſor.* V. 27. p. 124. ed. Baſil. per *Henr. Petrum* 1544. et iterum L. Diuiſion. I. 144. p. 421.

f) Ap. *Rhaſen* l. c. p. 234.

g) Canon. L. IV. Fen. I. Tract. IV. c. 12. p. 76. T. II. ed. *Iunt.*

h) Ap. *Rhaſ.* in Continent. L. XVIII. 1. p. 229. ed. *Channing.*

hh) Gloſſar. Infim. Latin. p. 1250. T. III.

to, quod ab cicatricibus repetitur, vſi ſunt HVETIVS [i]) et omnium optime WERLHOFIVS [k]) ad confutandam novam HAHNII ſententiam.

Ex his igitur, quae adhuc pluribus diſquiſiuimus, veri cupidum ac ſtudioſum quemque perſpecturum puto, *nec certam* apud veteres τῶν ἐξανθημάτων, *papularum puſtularumque ſignificationem eſſe, nec vltra Arabum tempora variolarum antiquitates videri proferendas.* Ad quorum monimenta vbi delatus fueris, omnia vndequaque luce ſua collustrantur. Debent illi quidem (fateor) Graecorum medicorum libris multa, quae ad verae medicinae ſtudia pertinent. At in variolarum hiſtoria duces ſuos prorſum caecutientes inuenerunt, quia nusquam aliquod morbi huius veſtigium extat. *Si enim veteres auctores*, inquit HIER. MERCVRIALIS [l]), *nobis non inuiderunt tractationes morborum minorum, cur exiſtimare debemus, eos nobis inuiſuros fuiſſe tractationem huius morbi, qui (ingenue fateor) omnium eſt maxime grauis et inſignis?*

Male hinc ſuae cauſſae conſuluiſſe HAHNIVS [m]) videtur, cum ex eo, quod *Aaronis* aetas in PAVLLI tempora inciderat, opinioni ſuae multum fidei acceſſiſſe exiſtimaret. Primum enim omnia coniecturis debentur, quibus in re tali, qualis variolarum origo eſt, non temere fidendum eſt, neque iam quaeritur, quid *Aaron* reliquique Arabes hoc in morbi genere facere debuerint, ſed quid

i) In Huetian. p. 132. ſequ.
k) De Variol. et Anthrac. c. 1. §. 5. p. 9. ſequ.
l) De Pueror. Morb. c. 2. p. 22.
m) Variol. Antiquit. c. VI. §. 4. p. 69.

quid re ipſa fecerint. Iam vero cum iſti homines non in ſeculi noſtri ſimilitudinem ex inuentis laureolam quaeſierint ad alios forte referendam, illud ſilentium aut modeſtiae animi attribuendum eſt, qua iis, vnde profeceras, aliquid detrahere nefas ducebant, aut etiam, vt nobis videtur, ab temporum iniuria repetendum eſt, qua, vt in hoc litterarum genere facile fieri potuit, primis Arabum medicorum monimentis perditis, ſimul veram de variolarum origine notitiam amitteremus. Cuius rei mentionem cum iam ab aliis identidem factam eſſe perſpicerent ii medici, qui paullo poſt vixerunt, ecquod mirum eſt, ſi, commemoranda ſaepius hac variolarum origine, tempus et operam ludere nec libuit iis, nec licuit.

Quibus ita ſe habentibus, conficitur, *a ſolis Arabibus medicis verum variolarum ortum, naturam ac indolem, ſigna,* omniaque ea, quae huic aegrotationis formae adiuncta ſunt, deduci oportere, niſi velimus iniurii in iſtorum virorum manes eſſe. Equidem negare non auſim, Arabes vt variolas iterum in alias terrarum partes intulerunt, ita etiam hanc labem prius ab exteris accepiſſe; id vero mihi dari concedique peruelim, primos eſſe Arabes, qui, quantum nos ſcimus, hoc cutis vitio et laborarunt, et illud ad viuum deſcripſerunt, adeoque hac de re deuenerandos. Etenim bene haec demonſtrauit Illuſtr. REISKIVS [mm]), magnum

mm) Obſeru. Miſcell. cit. Obſ. I. p. 9. ſequ. vbi ſimul, quid *On Nawaſel* ſit, ſtudioſe diſquirit, atque *febrem ſcarlatinam, purpuram aut rubeolas* (*Germ. Frieſel*) eſſe perhibet.

gnum illud bonarum litterarum in Germania decus atque ornamentum, morbillos atque variolas non, nisi post Habassinorum irruptionem atque Homeritici regni finem i. e. *anno post Christum natum* CCCCCLXXII. in Arabiam inuectos fuisse. Quae ne quis temere dicta putet, audiamus, quaeso, ipsum MASVDI, quem vulgo *Arabum* appellant LIVIVM, et IBN. DOREID hos ipsos natales, quos adhuc anquirimus, aperte commemorantes. *Hoc demum anno*, inquit MASVDI ex Ill. REISKII versione, *comparuerunt primum in terris Arabum variolae et morbilli, et on Nawasel, et Kynanthropia, (seu ol Kalab) quorum quidem aliqua fuerant iam antea inter Israelitas, non tamen Arabum terras inuaserunt, nisi tum demum. Hoc ipso quoque anno comparuerunt primum arbores siluestres, vt ruta siluestris, (ol Harmal) et colocynthis (ol Hanthal).* At vero IBN DOREID sic: *Ol Harmal est genus aliquod plantae, quod ignotum Arabibus fuisse adseuerant historici, antequam irruptione affligerentur, anno elephanti. Cum autem illorum negotium absolutum esset et discussum, inuaserunt homines variolae et morbilli, quos curarunt amaris succis al Hanthal, al Harmal et al-Oschr.* —

Neque multum dissensit MARIVS AB AVANCHES, quem SCHLOEZERVS n), V. Cl. in medium adduxerat, quique variolas iam inde ab anno IↃLXVIII. appellasse dicitur. Sed in eo, vt nobis videtur, SCHLOEZERVS vehementer fallitur,

n) In Praefat. Lib. Von der Unschädlichkeit der Pocken in Rußland.

fallitur, quod exinde illas et veteribus cognitas, et olim benigniores, quam hodie, fuiſſe colligit. Conſtat enim inter medicos, fuiſſe morbos contagioſos, cùm primum innoteſcerent, vel maxime exitioſos. De *morbo gallico*, *peticulis*, *purpura*, *ſudore anglico* cet. res eſt notiſſima.

Porro nec illud magni momenti eſt, quod ex GREGORIO TVRONENSI adducendum exiſtimauit HVETIVS [nn]), variolas nimirum iam inde ab anno IↃXX. in Gallia extitiſſe. Quam lubrica enim et incerta haec ſint, cum ex iis, quae ſupra retulimus, ſatis ſuperque patet, tum praeclare demonſtrauit magnus WERLHOFIVS [o]).

Propenſior quidem (fatebor enim) RHASES [oo]) in eorum partes eſſe videtur, qui GALENVM variolarum naturam medendique viam cognitam habuiſſe perhibent; Sed in iſto argumento verſatus eſt infeliciter. Primum enim loca ea, quibus ad ſententiam ſuam confirmandam abutitur, nullo modo reſpondent noſtris variolis, ſiquidem ibidem aut ἴονϑοι ſunt, aut etiam ἐξανϑήματα, ἐρυσιπέλατα, ἕρπητες, ἄνϑρακες, πύρετοι. Deinde ab illo medico nihil hac de re praeclare dictum eſſe ipſe profeſſus eſt, niſi, vt illi videtur, quibusdam libris nondum in arabicam linguam verſis ea contineantur: id quod, quantum equidem ſcio, nusquam eſt. Denique quid magis valet ad hasce

nn) In Huetian. p. 132.

o) Diſquiſit. De Variol. n. XII. p. 9. ſequ.

oo) De Variol. et Morbill. c. I. p. 11. ed. *Channing*, cuius notam p. 14. de variolarum vetuſtate confer, ſi placet.

ce variolarum antiquitates diruendas RHASIS p) ipsius verbis: *Me quod attinet*, inquit, *ipse inquisiui iam dudum, accuratissima inquisitione, interrogans lingua syriaca et graeca vtentes medicos de hac re: at inter illos ne vnus quidem fuit, qui mihi aliquid addidit his, quae ex illo memoraui. Imo plerique eorum non nouerunt, quid per ista voluit, quae distincte memoraui. Ipse profecto de hoc miratus sum, et quomodo* GALENVS *praeteriuerit hunc morbum tam frequenter orientem tamque cura egentem; ille, qui in caussis et cura morborum inuestigandis ita fuerat adsiduus. Recentiores quod attinet, etiamsi de curatione variolarum aliqualis ab eis facta sit mentio, nec accurata, neque distincta; nihilominus ex iis ne vnus quidem est, qui memorauit caussam eius morbi efficientem, et quare eueniat, vt illum vix effugiat vel vnus mortalium, nec tradidit species curationis eius in locis suis.* Ex his facile colligitur, si vel alia quaeuis nos deficerent, graecis latinisque medicis et incognitas fuisse variolas, et GALENVM non, nisi honoris caussa appellatum ab Arabibus esse, eadem fere ratione, quam nostri sibi homines adhibendam ducunt, si quid auctoritatis ex veterum scriptorum locis extorquendum est atque precario quasi repetendum.

In

p) L. cit. p. 14. Negat *Hahnius* (Carb. Pestil. c. 7. §. 78. p. 75.) aduersus *Werlhofium*, testem idoneum hac in re *Rhasen* esse posse, *quod tribus Aarone seculis iunior sit, atque integro demum post defunctum vita senem Ianum Mesuen Damascenum seculo floruerit, qui vtrique variolarum non, vt noui morbi, mentionem iniecerant* cet. At vero saltem veterum libris vti poterat, si qui adfuissent, vnde dubiam de variolarum origine sententiam meliorem clarioremque redderet.

In describenda autem *variolarum* natura principatum sine dubio tenuerunt AARON pp), AL-SAHER q), GEORGIVS et GABRIEL BACHTISHVA r), qui primi variolarum signa maxima cum accuratione pertractarunt: MESVE s), *quem Arabes suo Persico nomine Masaujeh aut Masuwaih appellant:* IOANNES SERAPION t) et ISAACVS u); qui in eruendis variolarum caussis virum se praestitit; AVENZOAR v), qui iis omnes omnino homines abnoxios esse perhibet: RHASES w), qui variolarum morbillorumque naturam, signa, et euenta bene demonstrauit: HALY ABBAS x), MASERIAWEIVS y), TABRI z) ac TARMEDI a) quidam; denique AVICENNA b) cet. Quibus si ex recen-

pp) Ap. *Rhas.* Continent. P. II. Tract. 22. c. 30. p. 419. et p. 219, 255. ed. *Chann.*

q) L. cit. p. 221.

r) Ap. *Rhas.* Contin. L. XVIII. 8. p. 236. et 245, 252. ed. *Chann.*

s) Method. Therapeut. L. VII. 73. p. 443. seq.

t) Ap. *Rhas.* l. c. p. 257. ed. *Chann.* et Practic. Tract. V. De Apostem. c. 22. p. 59. ed. *Iunt.* 1550.

u) Ap. *Rhas.* L. XVIII. 8. p. 234. ed. *Chann.*

v) Rectificat. Medicat. et Regim. L. II. Tract. VII. c. 2. p. 30. b. ex interpret. Mag. *Paravicii Physici.*

w) De Variol. et Morbill. c. 3. p. 37. ed. *Chann.* et *Opp.* ed. *Henr. Petr.* Diuision. L. I. 159 p. 444.

x) Regal. Dispofit. Theoretic. L. VIII. 14. p. 16. cf. ad h. l. *Trilleri* V. Cl. Epist. I. p. 11. ad calc. *Hahn.* Carb. Pestil.

y) Ap. *Rhas.* Contin. L. XVIII. 8. p. 213. et p. 240. ed. *Chann.*

z) L. cit. p. 216. ed. *Chann.*

a) L. cit. p. 244. ed. *Chann.*

b) Canon. IV. Fen. I. Tract. IV. c. 6. seq. p. 72. T. II. ed. *Iunt.*

recentioribus Graecis adiunxeris ACTVARIVM c), CONSTANTINVM AFRICANVM d), medicos latino-barbaros et recentiores tantum non omnes, facile ad perſpiciendum eſt, variolarum antiquitates ab Arabibus ſolis repetendas eſſe, quicquid contra dicant ſtrenui contrariae opinionis propugnatores.

Sunt vero, RHASE e) auctore, *variolae atque morbilli ex febrium acutarum continuarumque* f) *numero.* Signa haec eruptionem puſtularum antecedunt, *febris continua et dolor dorſi*, quae quaſi propria huic morbo ſunt, *pruritus naſi*, *terror in ſomno*, *punctio*, *repletio faciei*, *coloris inflammatio*, *rubor genarum et oculorum*, *grauitas totius corporis*, *inquietudo abundans*, *cuius ſigna ſunt pandiculatio et oſcitatio*, *dolor in gutture*, *et pectore*, *cum paucula ſpiritus arctatione et tuſſi*, *oris ariditas et ſaliuae craſſities*, *vocis raucedo*, *cephalalgia*, *grauedo capitis*, *nauſea*, *moeror*, quae, vt ille perhibet, in morbillis longe frequentius, quam in variolis occurrunt; *pulſus magnus plethoricus* g), *reſpiratio anguſta*, *vrina turbida*, *rubra* cet. Adde porro varia ſigna, quibus *variolarum et morbillorum genera* h) aut boni augurii, aut mali exiſtimantur. *Variolae* enim *albae*, *magnae*, *diſcretae*, *numero paucae*, *exitu faciles*, nec non *albae*, *magnae*, *etſi ſint numero plures et ad inuicem propinquae vel cohaerentes*,

c) Method. Medend. V. 3.

d) De Morb. Cognit. et Curat. L. VII. 8. ſequ. et Locor. Comm. VIII. 14. cf. *Freind* Hiſt. Medec. III. p. 4. ſeq.

e) De Variol. et Morbill. c. 14. p. 89. ed. *Chann.*

f) L. cit. c. 3. p. 37.

g) L. cit. c. 5. p. 81.

h) L. cit. c. 14. p. 189. ſequ.

haerentes, *ſalutares* omnino ſunt: *malae* vero quaedam ex his, quas iam commemorauimus, praeſertim ſi *ſe dilatant adeo, vt plures ex illis in vnum coaleſcant*, ſimiliter *durae, verrucoſae, quae humorem non continent, quae ad viridem* i) *et violaceum vergunt colorem, quae ad nigrum, ſi ſubito iterum euaneſcant* k), *aut in gangraenam abeant* l) cet. Haec enim omnia ſunt maximam partem tam bene dicta naturaeque apposite, vt inter legendum ſubriderem ſemel iterumque eorum ſuperſtitionem, qui in tanta veri luce caecutire, quam HIPPOCRATI atque GALENO ſuo aliquam falſae gloriolae partem detrahere malunt.

Ego vero nec erubeſcam, cum iis errare medicis, qui hoc valitudinis aduerſae genus nouum veteribusque incognitum fuiſſe vsque ad Arabum tempora cenſuerunt, nec propugnatorum more in hoc coniecturarum lubrico huc illuc agitari, aut minutiis callidis et contortis concluſiunculis, tanquam ſcopulis, pertinaciter adhaereſcere cupio, praeſertim cum ipſi in explicandis veterum ſcriptorum locis, incredibile, quantum a ſe diſſentiant, et alius aiat, alius neget, quoniam ex nominibus pendent vnice, re ipſa prorſum poſthabita atque neglecta.

Hac ex re autem factum eſt, vt ne variolarum quidem carbunculi ſacrique ignis naturam ac nomen ſatis noſſent anteceſſores noſtri, ſed turpiter multa

i) L. cit. p. 195. k) L. cit. p. 197.
l) L. cit. p. 199.

multa inter ſe confunderent. *Sacer ignis*, inquit SYMPHORIANVS CHAMPERIVS m)[m], *eſt morbus, quem S. Antonii ignem vocant. Dicitur et pruna, et ignis perſicus, et carbo. A* DIOSCORIDE *vocatur eryſipelas. Alii formicam miliarem vocant. Dicitur item anthrax. Magna tamen eſt apud Arabes et medicos recentiores de pruna et igni perſico vel ſacro ambiguitas. Alii prunam atque carbones non idem malum, ſed diuerſa exiſtimant, cum tamen, quod ab* AVICENNA *pruna dicitur, a* GALENO *carbo latine vocetur, et graece anthrax. Alii, quamuis idem ſignificant, graece anthrax, quod carbo latine, differre tamen volunt.* Immo vero hac de diſſenſione medicorum non veritus eſt ita iudicare LEONARDVS FVCHSIVS [n]): *Decipiuntur medici iuniores, prunam ſeu ignem perſicum, carbunculum atque anthracem diuerſa morborum genera exiſtimantes, cum tamen vnus idemque diuerſis nominibus morbus deſignetur.* Egregie mehercle, ſi haec vera ſunt. Hac enim ratione oleum et operam, quod aiunt, perdidiſſe cenſendi ſunt, qui tantis rerum verborumque tenebris inuoluti ac tantum non oppreſſi vbiuis lynceis gaudent oculis ſcilicet, et, ſi qui forte fortuna

Apparent rari nantes in gurgite vaſto.

Illico ſibi tritum illud: Ἕυρηκα, εὕρηκα! exclamandum eſſe putant.

Media via, o amici, incedendum eſt, et tandem, copiis quibuscunque ad auctoritatem variolarum defendendam fruſtra corraſis, candide magno-

m) Aggregat. Lugd. fol. 122. b.
n) Errat. Recent. Medic. T. II. Err. 46. p. 59. b.

magnorum virorum atque TRILLERI [o]) venerabilis more profitendum: *Melius fecissent veteres*, inquit ille, *si peculiare nomen imposuissent variolis, sicque nobis omnem litigandi et dubitandi materiam praecidissent v. g. si vocassent eas ἀνθράκια s. ἄνθρακας μικρὰς vel παιδικὰς, ψώραν ἀνθρακώδη, ἐξανθήματα ἀνθρακώδεα, ἑλκύδρια ἀνθρακώδεα, ψυδράκια, φλυζάκια, et similia; forte et ipsi ἐξανθήσιες ἑλκώδεες Aph. 20. Sect. III. sint variolae, vt mihi quidem videtur. Sed hic non est quaestio, quid facere illi debuissent, sed quid re ipsa fecerint? atque in illo acquiescendum. Quum enim illi verborum parci, rerum vero foecundi essent, — saepius accidit, vt vnum nomen pluribus rebus inter se adfinibus adiiceretur. —*

His igitur rite perpensis, qua ratione quis dubitare adhuc possit, atque huc illuc ferri, plane non video. Aliter enim SYDENHAMVS [p]), magnus olim et medicinae Hippocrateae vindex, et verus in variolarum curandarum ratione princeps: *Vero simillimum est*, inquit, *ne quid dicam audacius, variolas nondum tunc temporis in rerum natura fuisse repertas. Si enim per antiquiora tempora perinde atque nunc dierum hic morbus inualuisset, sagacissimum* HIPPOCRATEM, *opinor, is nunquam latuisset. Qui cum morborum historias et clarius intellexerit, et descripserit accuratius, quam post natorum quispiam, et huius etiam descriptionem genuinam atque simplicem pro suo more nobis reliquisset. —*

 Sed

o) In Epist. II. p. 14. ad calc. *Hahn.* Carb. Pestil.

p) *Opp.* Medic. Sect. V. c. 4. p. 149. T. I. ed. *Gen.*

Sed ohe, iam satis est, ne quid nimis. *Variolae nouus morbus* sunt, adeoque Arabibus solis, non Graecis aut Latinis, honos atque gloria inventi huius perditissimi debetur.

Quod valitudinis aduersae genus cum tam infestum humanae vitae sit, vt inter sexcentos homines vix ac ne vix quidem vnus satis sibi caueat, factum est, vt multi dirissimo huic cunctisque perquam familiari malo noua *insitionis* via occurrere conarentur. Est vero haec *insitio* non, nisi nouus veteribusque incognitus morbus, quam alii, vt HAENIVS q), Ill. TRILLERVS r), RAVLINVS s), aliique multi ex schola Parisina, nuper etiam SWIETENIVS t) atque NEIFELDIVS tt) cet. in hominum perniciem atque exitium inuentam, adeoque cane peius et angue fugiendam existimarunt; Alii contra, quorum in numero Ill. VOGELIVS u) est, media, eaque tutiori via procedere cupiunt; Alii denique hanc insitionis viam summis extollunt laudibus, suntque hac ex sacra cohorte magnus WERLHOFIVS v), DE LA CONDAMI-

q) Quaestion. super meth. Inocul. Variol. Vindob. 1757. et passim in Rat. Med. locis perquam multis.

r) Geprüfte Pockeninoculation, Frft. 1764. et in Opuscul. passim.

s) Medicin. Wahrnehm. Band. III. Stück 3. p. 240. Francf. 1759. vbi argumenta in vtramque partem bene adferuntur.

t) Comm. in *Boerh.* Aph. p. 142. sequ. T. V. ed. *Lugd.*

tt) Ratio Medendi Morb. Circul. Sanguin. p. 184.

u) Prael. Acad. De Cognosc. et Curand. Morb. p. 93.

v) De Variol. et Anthrac. c. 1. §. 6. p. 18.

DAMINE [w]), KIRCK PATRICK, Ill. HALLERVS, ROEDERERVS, TRONCHINVS, SCHVLZIVS, PETITVS, SVLZERVS, BALDINGERVS, TISSOTVS, ROSENIVS, MACKENZIE, MATY, GATTY et WAGLERVS, V. Cl. DIMSDALE, SVTTON, et ſexcenti praeter hos alii, quos commemorare amplius nec licet, nec lubet. Qui cum variolas naturales et vitae, et formae pulcritudini, haud raro exitioſas eſſe intelligerent, id ſuarum partium eſſe cenſuerunt, vt terminos inſitionis huius quouis modo prorogarent, contagemque illam, qua nulla eſt capitalior, quoad eius fieri poſſit, aut penitus tollerent, aut ſaltem minus detrimentoſam efficerent. Id quod vtrum inſitionis miniſterio fieri poſſit, an quauis alia via et ratione, quam multo meliorem exiſtimarunt KRAVSIVS [x]) atque FRID. CASIM. MEDICVS [y]), iam non attinet amplius anquirere. Id vnum ſcio, nouum hoc morbi genus eſſe et ab exteris nationibus illuſtriſſimae feminae MONTAGVE beneficio ad nos translatum.

Magna ex hoc tempore rixarum acuendique ingenii materia medicis data eſt, plurimique, vt cum NASONE [z]) meo loquar,

Sine viribus vllis
Bella inſtructa gerunt, multumque ab vtraque cruoris
Parte datur.

 Id

w) Medicin. Wahrnehm. B. III. St. 3. p. 243.
x) Diſſ. De Variol. Exſtirpat. Inſit. ſubſtituenda Lipſ. 1762.
y) Sendſchreib. von Ausrott. der Blattern Frft. 1763. et iterum, ni fallor, in Beobachtung. T. II.
z) Metamorph. XIV. v. 528.

Id vnum in votis eſt, vt vterque ſine vllo partium ſtudio, atque omni adhibita diligentia, lubricum hoc periculique pleniſſimum argumentum pertractent, et quae demum cunque obſeruando acceperint, humaniter edoceant. Ex hac enim rei inueſtigatione ac inquiſitione id tandem eueniet, vt veritati et ſuum decus reddatur, et omnis falſi vis pereat. Nam, vt praeclare olim IVNO apud VIRGILIVM,

Motos praeſtat componere fluctus.

Ego vero, cui puſillum animum, linguam barbaram et balbutientem, pacis denique amorem ſingularem natura dedit, id mihi non ſumam, vt inſitionis coryphaeis aut me audacter adiungam, aut cuidam eius aduerſario flebiliter ogganniam, ſiquidem monuiſſe

Id mihi ſatis eſt; haec vna potentia noſtra eſt,
Ipſe docet, quid agam. Fas eſt, et ab hoſte doceri?

II.

MORBILLI ET ROSEOLAE.

Alterum morborum incognitorum genus MORBILLI ſunt, quos, ne tantum detrimenti exinde caperet respublica, primus omnium FRANCISCVS HOME a) Edinburgi per inſitionis viam arcere atque perſanare tentauit. Antiquitates vero morbillorum illa Arabum tempora non excedunt, etſi eos olim HIPPOCRATI notos fuiſſe perhibuit

a) Princip. Medic. p. 186. Cf. *Roſen* Kinderkrankheiten, Abſchn. XV. p. 235. ed. ſecund.

buit GE. HIER. WELSCHIVS [aa]) atque praeterea MANARDVS cum herpete veterum conuenire dixerat: Id quod quam falſum ſit, ſuo iam tempore demonſtrauit HIER. MERCVRIALIS [b]). Eodem enim fere tempore ac loco, et variolae, et morbilli commemorantur, neque, quod nouis in rebus, iisque ſibi haud abſimilibus, ſaepenumero vſu euenit, ſatis à ſe inuicem ſecernuntur. A quo errore ne RHASES [c]) quidem poſt multos alios ſibi ſatis cauit. Expreſſe tamen MORBILLOS SALVTARES cenſuit, *qui vehemente non ſunt rubore, qui velocis proceſſionis, et apparitionis, et maturationis ſunt;* MORTIFERI vero atque exitioſi ſunt *fuſci, virides, violacei* [d]), *nigri* [e]), *crocei coloris* [f]), *rubei* [g]); *qui duri, tardae maturitatis, frequentis ſyncopis, et anguſtiae ſunt, et occultantur iterum ſubito* [h]); *ſi venter inflatus eſt et manibus repercuſſus ſonat ad modum tympani* [i]) cet. AVICENNA [k]) vero

aa) Curat. Propr. Dec. III. Cur. V. p. 136.

b) De Pueror. Morb. I. 2. p. 15.

c) De Variol. et Morbill. c. 14. p. 195. ſeq. ed. *Chann.* Cf. *Avicenna* Can. IV. Fen. I. Tract. IV. c. 9. p. 74. T. II. ed. *Iunt.*

d) *Rhaſ.* ad *Almanſ.* L. VIII. 18. Cf. *Humain* quidam, qui ad calc. *Gal. Opp.* L. De Plant. p. 1005. T. XIII. ed. *Chart.* plantam *Ierdelin* morbillis conferre auctor eſt. *Gabrieli* vero (vid. Vita eius in calc. Hiſt. de Medec. *Freind.* p. 307.) dicitur *morbus, quem parui pendunt homines, nempe El-Haſpa ſeu morbilli.*

e) L. cit. p. 216. ed. *Chann.*

f) *Maſeriuweius* ap. *Rhaſ.* l. c. p. 250.

g) *Rhaſ.* Diuiſion. c. 159. p. 210. ed. *Chann.*

h) *Rhaſ.* l. c. p. 216. et *Avicenna* l. et pag. cit.

i) *Meſue* ap. *Rhaſ.* l. c. p. 224.

k) L. et pag. cit.

vero teste, non, nisi *quantitate* ac *magnitudine*, variolae morbillique a se discrepant, id quod AVENZOAR [l]) his verbis definiuit, *quod variolae generantur ex humore magis grosso, et morbilli ex subtili et sicco procreantur.* Tandem FRANCISCO PEDEMONTANO [m]) iudice, *variolae, pasticium et morbilli ex genere sunt pestilentiosorum morborum.*

Immo vero ii ipsi, qui voculas ac syllabas studiose aucupantur, non satis sibi in variolarum ac morbillorum appellatione constitisse videntur. Glossa enim quaedam apud CANGIVM [n]) adducitur ad ALEXANDRVM iatrosophistam referenda his verbis; *Turpedo nihil aliud est, nisi cutis deturpatio, facta ex varia macularum diuersarum distinctione. Hanc passionem quidam* **morbillum**, *i. e. minimum morbum, communiter dixerunt, eo, quod patientes per totum corpus minutas videantur habere pustulas. Alii* **lepram**, *quod sit leprae similis* cet. Haec certe medicorum dissensio fuit etiamnum illo, quo DAN. SENNERTVS [o]) vixit, tempore tanta, vt, qua potissimum ratione ac via haec valitudinis aduersae genera essent a se inuicem internoscenda, prorsum ignorasse viderentur, et suo quisque more in appellandis variolis atque morbillis vteretur. Qua ex

l) Rectificat. Medicat. et Regim. L. II. Tr. VII. c. 2. p. 30. b. ex interpret. Mag. *Parauic.*

m) De Febre Putrid. c. 6. p. 174. b. Summ. II. P. I. Sect. II. ad calc. *Opp. Mesue.*

n) Glossar. Med. et Infim. Latinit. voc. *morbillus* p. 674. T. II: vbi simul quatuor turpedinis species explicantur. Cf. *Werlhof.* De Variol. et Anthr. c. 3. p. 56.

o) De Febrib. IV. 12. p. 510. sequ.

ex re non potuit non peruerſa ſignorum cauſſarumque fieri notatio.

Nec defuerunt noſtra aetate, qui vtrumque morbum eodem genere contineri, eandemque curationem requirere perhiberent, id quod audacter negat et pernegat HATTE p), medicus Gallus, etſi iterum aliter poeta q), cum ita caneret, ſenſiſſe videtur:

Verum illas dicam papulas, quae corpore toto
Rumpentes rapidae faciunt incendia febris.
Interea niueosque artus infantis et ora
Deturpant, et longa ſui veſtigia linquunt:
Siue cute emineant ſumma, morbique per omnem
Decurſum, ardentes rutilo velut igne coruſcant,
Seu gelidi humoris lento torpore grauatae
Subſidant, primo quaeque ante rubebat in ortu
Puſtula, paullatim albeſcat, lateque vagata
Deſinat in denſas maturo tempore cruſtas.

Id vnum commemoraſſe ſufficiat, AARONEM r) *variolas* et *morbillos* expreſſe a ſe inuicem diſtinguere, *blactias* vero, quas multi, iure, neſcio, quo pro *roſeolis* noſtris habendas exiſtimant, *vna cum variolis* appellare: Id quod optime hiſce GEORGII verbis fieri poteſt. *Quemodmodum blactiae,* inquit ille, *variolae ſunt coloris violacei, nigri, aliquando apparent, aliquando occultant* cet. RHASES s) vero

p) Medicin. Wahrnehm. B. II. St. V. n. 8. p. 344. Strasb. 1762. q) L. cit.

r) Ap. *Rhaſ.* Continent. P. II. Tract. 13. c. 30. p. 419. vbi etiam ea, quae ſequuntur, verba quaeras.

s) L. cit.

vero *variolas* et *blactias* ſic a ſe differre putat, *vt blactiae ſint rubeae, appareant in ſuperficie cutis, ſicut ignis ipſius, non ſint profundae eminentiae, nec eminentes: Variolae habeant eminentiam, rotunditatem.* — Sed mehercle non ſatis ſibi conſtitit, cum hic blactias pro morbillis attuliſſe videatur, et alio loco tripliciter *variolas*, *morbillos* et *blactias* nominet. Interdum [t]) enim *variolas*, *blactias* et *morbillos coniunxerat*, interdum [u]) vero *variolae* et *blactiae* ſibi ſolae opponuntur, hisque ineſſe dicuntur *vox groſſa et rauca, tempora eleuata, oculi rubicundi, lacrymae, nauſea cum abominatione*, eo tamen adhibito diſcrimine, vt *blactiae accidant ſubito*, *variolae* vero *ſucceſſiue;* quemadmodum et alias [v]) *ſignum prognoſticum variolarum* appellatur *lumborum dolor*, non vero *blactiarum* cet.

Similiter quoque TABRI [w]), qui RHASIS magiſter fuiſſe dicitur; IOSEPHVS AL SAHER ſ. VIGILATOR [x]), nec non *filius* MESVE [y]), alii. At vero GEORGIVS [z]), qui CHANNINGO *videtur* BACHTISHVA eſſe; *Blactiae fiunt*, inquit, *ex ſanguine permixto multa colera, et variolae ex ſanguine groſſo multae humiditatis, et ideo inuenimus variolas*

t) *Rhaſ.* De Variol. et Morbill. c. 3. p. 39. et c. 6. p. 89. Iterum c. 14. p. 189. et p. 195. ed. *Chann.* Similiter L. ad *Almanſor.* X. 18. Diuiſion. c. 159. p. 210. ſequ. ed. *Chann.*

u) Continent. XVIII. 8. p. 241.

v) L. cit. p. 242.

w) L. cit. p. 217.

x) L. cit. p. 221. Cf. p. 236. ed. *Chann.*

y) L. cit. p. 224.

z) L. cit. p. 236. Sed diſſentit vehementer a *Channingo* Illuſtr. *Reiskius* in not. ineditis ex *Abuoſaibah* auctoritate.

riolas humidas, et blactias aridas et ſiccas cet. Porro apud BACHTISHVAM [a]) *variolae, morbilli et blactiae* expreſſe a ſe inuicem diſtinguuntur; Apud MASERIVWAIHVM ſ. IVDAEVM [b]), leguntur, *blactiae ſeu morbilli*, ſimiliterque alio loco [c]), *in blactiis ceu morbillis* cet. Denique eadem blactiarum ac morbillorum ſigna ſunt, adeoque in eam ingredior ſententiam, *blactias et morbillos prorſum ſibi reſpondere*, id quod magno WERLHOFIO [d]) iam viſum eſt, etſi iterum alio loco [e]), INGRASSIAE ac HERM. CONRINGII auctoritate fretus, *blactias inter variolas et morbillos medias eſſe et rubeolarum nomine* inſigniendas cenſuit. Sed in aliam quamcunque ſententiam pedibus iuit FRANC. BOISSIER DE SAVVAGES [f]), qui ex quorundam Gallorum more *roſeolam* generatim pro *morbillis* adhibendam duxit, *quia ſic primitus nominata a traductoribus* HALY ABBATIS; *morbilli vero a latino-barbaris in plurali dicti ſint, quaſi parui morbi, blacciae vero Aaronis interpret.* cet. Videant, quaeſo, qui linguae Arabicae ſatis gnari ſunt, iſtane vocabula reuera RHASES reliquique medici ſeiunxerint, an debeantur potius minus fido interpreti. Id ſaltem ex Ill. REISKIO me nuper accepiſſe memini, dari apud Arabes non, niſi duo vocabula, quibus variolae ac morbilli exprimuntur, adeoque nobis, quae demum cunque, conferendis variis Arabum

a) L. cit. p. 247. ed. *Chann.*
b) L. cit. p. 250. c) L. cit. p. 252.
d) De Variol. et Anthrac. c. 3. §. 11. p. 59.
e) L. cit. p. 63.
f) Noſolog. Method. P. II. p. 386.

Arabum medicorum locis, vere colliguntur, paucis hic commemoraſſe ſufficiat.

Id vnum porro adiicere placet, dari *quandam morbillorum formam*, cui a roſeo forſitan colore nomen eſt *roſeola*, aut, ſi mauis, *rubeola*, vt etiam feciſſe videtur vetus interpres HALY ABBATIS g). *Eſt ſpecies aliqua*, inquit, *quae vocatur rubeola*, *quae ex ſanguine fit calido et ſubtili*, *et non multum malo*, *et haec ſpecies*, *cum ad ſtatum peruenerit*, *ſimilis fit milii granis aut paullo maior*, *et eius color rubeus*, *nec aperiuntur puſtulae*, *ſed fluunt.* Duo autem harum roſeolarum genera eſſe dicuntur, quorum vnum in cauſſarum, ſymptomatum et ſignorum natura curationisque via morbillis abunde reſpondet; alterum cum tumore totius fere corporis, inflammatione, febre vehementi, et macularum rubrarum eruptione eſt, atque infantibus non raro mortem accelerat. Quod malum cum apud Vratislauienſes dupliciter ſumatur, cumque DAN. SENNERTVS h), qui ei ſimilitudinem quandam cum FORESTI *purpura et ruboribus* (ἐρυθρήματα) cenſuit intercedere, multus prae ceteris in ſymptomatum notatione ſit, in nomine vero et genere inueniendo minus felix, liceat iam nobis eius verba adducere. *Maculae rubrae et quaſi ignitae*, inquit, *cum vix effatu digno tumore per vniuerſum corpus quaſi quaedam parua eryſipelata erumpunt in principio*, *ſeu morbi*

g) Theoric. VIII. 14. Vide, ſi placet, plura apud *Hahnium* in Antiqu. Variolar.

h) L. De Febrib. II. c. 12. p. 512. vbi ſimul quaedam notatu digna ex cadaueribus eorum, qui hoc morbo perierant, ſedulo ſtudioſeque repetuntur.

morbi die quarto, vel quinto. In ſtatu vero vniuerſum corpus rubrum et quaſi ignitum apparet, ac ſi vniuerſali eryſipelate laboraret. In declinatione rubor ille imminui, et maculae rubrae, latae, vt in principio, iterum apparent, quae tandem ſeptimo vel nono die euaneſcunt, epidermide ſquamarum inſtar decidente. Malum vero hoc graue ac periculoſum, et ſaepe lethale eſt. Nam calor eſt feruentiſſimus, ſitis inexſtinguibilis, et plerumque pulmonum, (vnde tuſſes excitantur), faucium et aliorum viſcerum inflammationes, deliria, et alia mala vrgent. In declinatione tandem materia ad articulos extremorum transfertur, ac dolorem et ruborem, vt in arthriticis, excitat. Cutis ſquamarum inſtar decidit, mox pedes ad talos et ſuras vſque intumeſcunt, hypochondria laeduntur, reſpiratio difficilior redditur, tandemque abdomen intumeſcit, aegrique non ſine magno labore et poſt longum tempus priſtinae ſanitati reſtituuntur, ſaepe etiam moriuntur. Sic ille ex MICHAELIS DOERINGII, medici quondam Vratislauienſis, obſeruatione.

Sunt haec (fateor) peregregia naturaeque appoſite dicta, nec equidem nego, priorem illam rubeolarum formam eſſe ex morbillorum genere; poſteriorem vero, quis eſt, qui eo referre temere audeat? Melius enim illa in *febris* ſcarlatinae grege, qualem Ill. VOGELIVS [i]) eleganter deſcripſit, videtur collocanda, et SYDENHAMII [k]) *eryſipelati puſtu-*

i) Prael. De Cogn. et Cur. Morb. Claſſ. I. §. 151. p. 111. ſeq.

k) *Opp.* T. I. p. 355. ed. *Gen.* Cf. *Gontard* in Medicin. Wahrnehmung. Band VIII. St. IV. n. 6. p. 244. Strasb. 1764. qui omne morbillorum genus a variolis quam maxime diuerſum atque eryſipelati adiungendum exiſtimat: idque, vt nobis videtur, non iniuria.

puſtulari cum maxime reſpondere. Eſſe vero rubeolas ad *febrem ſcarlatinam* referendas, praeter hos, quos iam adduximus, magnos viros bene docuerunt STORCHIVS l), STOERCKIVS m), PLENCIZIVS n), IO. CONR. GVIL. SCHMIDTIVS o), atque NEIFELDVS p); Id quod, vt in re dubia facile fieri ſolet, negarunt olim medici Vratislauienſes q) et nuper demum SAVVAGESIVS r) atque SELLIVS s) V. Cl. qui rubeolas ac morbillos inter ſe coniungendos et eadem medendi via compeſcendos putant. Sed falſi mehercle illi ſunt, vt mihi ob magnam medicorum atque vulgi ipſius diſſenſionem hoc morbi genus diligenter ſtudioſeque obſeruanti videtur.

Sunt enim *morbilli ex febrium continuarum catharrhalium genere*, adiunctumque habent pulſum elatiorem ac mollem, perraro durum, *tuſſim*, interdum quoque *grauedinem*, *oculos lacrumantes*, maculas pulicum morſibus ſimiles, in pectore atque collo quandoque confluentes. Eruptio varia eſt, atque die ſecundo, tertio, quarto, quinto fit, ita tamen, vt ſextus vel maxime pertimeſcendus ſit ob vitae periculum, cui aegri patent. Quo ſuperato,

l) Vom Scharlachfieber, ni fallor.

m) Ann. Medic. II. Menſ. Nouembr. p. 48. ſequ.

n) Opp. Medic. Phyſ. Tract. III. Sect. II. §. 29. ſequ. p. 57.

o) In Epiſt. ad Cl. *Frid. Guil. Klaerich*, Obſ. de febre ſcarlat. complexa.

p) Ratio Medendi Morb. Circuli Sanguin. Part. I. c. 1. Subſect. X. §. 452. p. 153.

q) Hiſt. Morb. Vratisl. Ann. 1699. p. 18. et Ann. 1700. p. 185. ſequ.

r) Noſolog. Method. T. II. P. II. p. 386.

s) Rudiment. Pyretolog. Method. p. 156.

rato, ſubito conualeſcunt, cutis autem furfurum more deſquamatur. Accedit, quod linguae ſanae ſimillima ſemper eſt, colli dolor nullus, aluus vero lubrica, eaque perpetua, nec ſuſpecta mali comes. Tuſſis ſola, niſi a medico proſpicitur, ne qua pectoris labes exinde remaneat, morbum et grauiorem, et periculoſiorem efficit.

Longe aliter ſe habent *rubeolae.* Etenim illae haud raro pertinent *ad febres continuas putridas*, aegrosque vel poſt ſex hebdomadum ſpatium in emphyſematicum totius corporis tumorem coniiciunt atque miſere iugulant. Rubet autem omnis cutis; vt in febre ſcarlatina mos eſt, idque vel iam ab morbi principio, vel a die ſecundo, pectori, clunibus, femori, accidit, faciei contra et brachio non ſemper: Lingua, tanquam ferro calido, laeuigata eſt atque excoriata, papillulis nerueis quaſi nudis. Accedit angina, modo maior, modo minor, tandem ad ſeptimum circiter diem ſquamae fruſtillatim defluunt, atque febris tunc demum ſe remittit. Alui profluuium ſemper boni augurii et euentus eſt.

En diſſimilitudinem morbillorum atque rubeolarum! Ineſt quidem (fatebor enim) vtrique rubor, ſed is in morbillis pallidior eſt, neque per omnem cutim diffuſus, in rubeolis contra intenſior atque profundior, adeoque videtur nobis perquam probabile, non cauiſſe ſibi ſatis medicos, qui contrariam opinionem defenderunt, et morbillos fortaſſe confluentiſſimos cum rubeolis ipſis commutaſſe.

Inci-

Incidimus nuper quoque in eam morbillorum ſpeciem, quam SAVVAGESIVS [t]) *rubeolam variolodem* dixerat, etſi, vt nobis quidem videtur, non ſatis recte reique accommodate, quippe ſigna illa, quae afferenda putauit, morbillis noſtris omnino reſpondent. Aderant vero *tuſſis ſicca, frequentes frigoris et aeſtus viciſſitudines, ſitis vehemens, genarum rubor et tumor exiguus, oculorum dolor et lacrymatio, ſomnolentia leuis*, atque *die* demum *tertia puſtulae* quaedam *acuminatae*, praeter conſuetudinem *magnae* atque *rubrae* prodierunt, quarum aliae, elapſo die ſexto, faſtigium quoddam habuerunt puris plenum, aliae vero breui furfurum modo deciderunt. Sed haec obiter, cum roſeolae paucis eſſent commemorandae, quae ſimiliter, vt morbilli, latuerunt prorſum graecos latinosque medicos.

Neque iam nobis licet aut lubet eſſe verboſioribus, cum perſuaſum nobis ſit atque cognitum, qui morbillorum origines vltra Arabum tempora proferre velit, fore profecto neminem, praeſertim ſi, quae in variolarum inquiſitione ac inueſtigatione dicta ſunt, ea omnino omnia velit in memoriam reuocare. Si qui vero ſint, de qua re nullus dubito, modo ingenii humani morem vtcunque nouimus, quibus

Mediis ſitiemus in vndis,

id ſaltem noſtro in veteres ſcriptores ſtudio dabunt, vt, cum in graecis latinisque medicis lubrica et obſcura ſint omnia, vocularumque conſtent aucupiis,

t) L. cit. p. 391.

cupiis, ab Arabibus ſolis hoc valitudinis ſiniſtrae genus exordiamur. Nam, auctore HIER. MERCVRIALI u), *cum variolae et morbilli ſint nomina ab Arabibus inuenta, aequum eſt, vt eo pacto nos iis vtamur, quibus ipſi ſunt vſi.*

III.

SVDOR ANGLICVS.

Tertium valitudinis genus, quod graeci latinique medici prorſum ignorarunt, videtur nobis eſſe *Sudor Anglicus*, qui et ὑδροπύρετος et *febris ſudatoria* dicitur. Qui morbus cum anno CIↃCCCCLXXXVI. in Anglia ortus et quadraginta paene annos his terris familiaris ac proprius quaſi fuiſſet, ſic, vt internecinam hominum ſtragem perpetraret, atque vix hiemali tempore a mala ſua natura et indole recederet; ad exteras tandem nationes, ac, LANGIO a) teſte anno CIↃIↃXXVIII. demum in Germaniam, proceſſit, eadem, qua in natali loco, immanitate vſus. Factum fortaſſe hinc eſt, vt iſtam *febrim* RODERICVS *a* FONSECA b) *epidemiam, endemiam, et ſporadem* appellaret; CAIVS bb) vero *febrem peſtilentialem contagioſam;* DAN. SENNERTVS c) denique *e malignarum febrium numero eſſe* arbitraretur.

Perie-

u) De Pueror. Morb. I. 2. p. 31. Cf. *Fuchſii* Errat. Medic. l. c. etſi is vehementer erraſſe *Mercuriali* videtur.
a) Epiſt. Medicinal. L. I. Ep. 19. p. 85.
b) Conſult. Medic. T. II. Conſ. I. p. 2.
bb) Ap. *Freind.* Hiſt. de Medecin. P. III. p. 265. ſeq. ed. *Pariſ.*
c) L. De Febrib. IV. 15. p. 557.

Perierunt tantum non omnes, quicunque in hoc malum inciderant. Nullis carbunculi papularumue veſtigiis conſpicuis, aderant *languor ſubitus*, *animi defectio*, *inquietudo ſumma*, *dolor capitis*, *pulſus celer et inaequalis*, *cordis palpitatio*, vel per multos annos et vitam omnem nonnunquam duratura cet. fueruntque iſta indicio, hoc aegrotationis genus malignae eſſe indolis. Signum vero eius perpetuum quaſique proprium *ſudor* fuit, qui affatim per totum corpus et vndatim quaſi defluebat, atque intra viginti et quatuor horas, niſi aegri auram frigidiorem ad corpus inconſulto admiſerant, omnem morbi vim atque perniciem auferebat.

Magna olim medicorum fuit hoc de valitudinis genere diſceptatio. Multi enim et ſibi, et veteribus, dedecori eſſe exiſtimarunt, nouam morbi formam adſciſcere quaſique adoptare, adeoque ſimiliter, vt ille apud PLVTARCHVM d), edixerunt: Οὔ μέντοι νῦν γε καὶ χθὲς, ἀλλ᾽ ἀεί ποτε τῇ ταῦτα, καὶ ὀυδεὶς οἶδεν, ἐξότε ἐφάνη. *Sed non heri ſunt iſta vel nunc edita. Semper fuere; quando extiterint, nemo ſcit.* Factum hinc eſt, vt, omni adhibita opera et ſtudio, nefariam hanc iniuriam a caris iſtis capitibus abigere conarentur, eorumque in numero facile eminet IO. LANGIVS e). Qui vt veterum propugnator longe acerrimus eſt, ita etiam ſudorem hunc, et priſcis medicis putat fuiſſe notiſſimum, et ad febres τυφώδες

d) Sympoſ. VIII. Quaeſt. IX. p. 731. T. II. ed. *Xyl.*

e) Epiſt. Medicinal. L. I. Ep. 19. p. 85. ed. *Hanov.* Conſentit *Rud. Aug.* **Vogelius** V. Cl. in Prael. Academ. §. 91. p. 63. ſequ.

φώδϐς aut ἑλώδϐς retulit, idque, vt nobis videtur, argumentis ſane proletariis, quae multis refellere non attinet, etſi ab eius partibus ſtare videtur BALD. RONSSEVS f). Sed recta mediaque via, vt ſolet, inceſſit DAN. SENNERTVS g); *Nonnulli*, inquit, *hanc febrem antiquis plane incognitam fuiſſe ſtatuebant, quorum ſententia plane abſurda non eſt. Etſi enim ad malignarum febrium a medicis antiquis deſcriptarum ſpeciem aliquam referri poſſit; tamen nulli apud antiquos determinatus hic malignitatis gradus fuit cognitus, aut certe non deſcriptus*, cet.

Accedit praeterea BACONIS DE VERVLAMIO h) teſtimonium; cuius verba, cum omnem morbi nefandi naturam ad viuum expreſſerit, hic adſcribere nobis liceat: *Circa hoc tempus in autumno verſus finem Septembris graſſari coepit tum in ipſa vrbe Londini, tum in aliis regni partibus, morbus quidam epidemicus, tunc temporis nouus; cui ex natura et ſymptomatibus eius* febris ſudorificae *nomen indiderunt. Morbus iſte breues ſortitus eſt periodos, tam in morbi ipſius criſi, quam in tempore durationis ipſius. Quippe qui eodem correpti erant, ſi intra ſpatium viginti quatuor horarum non morerentur, ſecuri fere et ſine metu erant. At quoad ſpatium temporis, per quod malitia morbi durauit, incoepit quidem circa viceſimum primum Septembris diem, ceſſavit autem ſub finem Octobris ſequentis. — Fuit iſte morbus febris peſtilentis genus quoddam, neque tamen, vt videtur, in venis aut humoribus*

f) Ep. De Scorbuto II. p. 169. ad calc. *Opp. Sennerti.*
g) L. De Febrib. IV. 15. p. 558.
h) Hiſtoria Regni Henric. VII. p. 18. ed. *Lugd.* 1647.

ribus ſedem occupans, cum non puſtulae, non purpureae aut liuidae maculae ſequerentur, (maſſa ſcilicet corporis intacta.) Tantum malignus quidam vapor et aura ad cor aduolauit, ſpiritusque vitales petebat et occupabat. Vnde natura excitabatur ad eundem per ſudores emittendum et exhalandum. Patuit autem per experientiam, quod morbus iſte natura potius inſidiatrix erat, eamque imparatam opprimebat, quam aduerſus remedia obſtinatus, ſi in tempore ſubuentum foret. Etenim ſi aegrotus in aequabili temperamento, quoad veſtes et focum, detentus eſſet tepidumque bibiſſet, et cordialia etiam temperata ſumſiſſet; vnde naturae ipſius opus nec calore irritaretur, nec frigore repelleretur, plerumque ſanitas ſequebatur. Verum innumeri homines ex eo ſubito occubuerunt, antequam curationis modus et regimen aegroti innoteſceret. Opinio erat, morbum iſtum neutiquam ex epidemicis illis, qui ſimul contagioſi ſunt, et de corpore in corpus fluunt, fuiſſe, ſed a malignitate quadam in ipſo aere, ex praediſpoſitione tempeſtatum et mutationibus coeli crebris et inſalubribus impreſſa manaſſe, atque breuis eius mora hoc ipſum indicabat. Hactenus ille. Sin vero cuius interſit plura hoc de morbi genere noſſe, adeat IO. FREINDVM f), Anglum longe clariſſimum. Quod ſi igitur verum eſt, vt eſt, medicos iſtorum ſeculorum clariſſimos nec morbi nomen imaginemue apud veteres reperiſſe, neque de natura eius ac ordine, quo collocanda haec lues eſſet, aut conſenſiſſe, aut conſentire vnquam potuiſſe; non ſpero ſolum, verum etiam confido, qui hic in aliam partem temere negando tranſeat, fore ſane neminem.

IV. MOR-

i) Hiſt. de Medecin. P. III. p. 264. ed. *Pariſ.*

IV.

MORBVS GALLICVS

In hoc, quod adhuc confiderauimus, corporis malo cum tantopere a fe inuicem abhorrent medici, tum vel maxime in *morbi gallici origine ac natura* definienda inde ab anno CIↃCCCCLXXXXIIII. Tunc enim haec lues, FRACASTORIO a) tefte,

In auras
Exiit, et tandem fefe caligine ab atra
Exemit, durosque ortus et vincula rupit.

Tunc difceptationes, rixae, iraeque exarferunt vehementiffimae, aliique morbum hunc nouam reputarunt peftilentiam, alii vero, tanquam pro aris et focis contenderent, eum a prifcorum hominum aetate ac cognitione non alienum fuiffe ad raucedinem et rauim vsque vociferati funt. Sed, vt mihi videtur, fruftra et fine vlla veri fpecie. Nam fi veteres promi condi funt, vnde, quicquid velis, fumas, qui, quaefo, factum eft, vt, cum haec lues appareret, tam fubito tanta auctorum diffenfio fubnafceretur?

Apud SEBASTIANVM enim AQVILANVM b) morbus gallicus dicitur *paffio, nec a noftris proauis, nec ab aliis longe antiquioribus vmquam vifa;* Apud NICOL. LEONICENVM c), *infolitae naturae morbus, Italiam et multas alias regiones inuadens:* Apud

a) Syphilid. I. v. 100. p. 236. ed. *Iunt.* 1555. Cf. *Mercurialis* Medicin. Practic. L. IV. 1. p. 423. fequ.
b) De Morbo Gallic. c. 1. p. 7. Coll. *Luifin.* Ven. 1566. T. I.
c) De Epidem. Morb. Gall. p. 15. T. I.

NICOL. MASSAM d), *aegritudo noua;* Apud IACOB. CATANEVM e), *monstrosus morbus, nullis ante seculis visus, totoque in orbe terrarum incognitus;* Apud IOANNEM BENEDICTVM f), *dispositio mala, quae probabiliter loquendo, nec diuino* HIPPOCRATI, *nec* GALENO, *nec* AVICENNAE, *aliisue medicis antiquissimis cognita fuerit:* Apud HIER. FRACASTORIVM g), *nouus et diu nostro orbe incognitus morbus,* similiterque apud MATTHIOLVM h) et VLRIC. ab HVTTEN i). At vero ab WENDELINO HOCK k) appellatur *aegritudo ignota:* CORADINO GILINO l) videtur *morbus apud modernos incognitus;* LAVRENT. PHRISIO m), *incognitus et inuisus pestiferque morbus, non tantum vulgo, verum etiam doctis et in sacra medicina eruditis:* ALOYSIO denique LOBERAE n), *morbus nunquam alias, vt in praesentia, notus, ignotusque ille veteribus, cum nulla eius indicia attulerint, cum tamen similes alias aegritudines tractarint, earum remedia adsignantes.* Immo vero secundum PETR. MAYNARDVM o) dicitur, *suo tempore detectus quidam morbus epidemialis,* et secundum

d) De Morb. Gall. c. 1. p. 36. T. I.
e) De Morb. Gall. c. 1. p. 123. T. I.
f) De Morb. Gall. c. 1. p. 148. T. I.
g) De Syphilid. s. Morb. Gall. c. 1. p. 173. T. I. et De Contagios. Morb. II. 11. p. 124. ed. *Iunt.*
h) De Morb. Gall. p. 215. Coll. *Luisin.* T. I.
i) De Morb. Gall. c. 1. p. 241. T. I.
k) De Morb. Gall. c. 1. p. 268. T. I.
l) De Morb. Gall. p. 296. T. I.
m) De Morb. Gall. c. 1. p. 299. T. I.
n) De Morb. Gall. c. 1. p. 321. T. I.
o) De Morb. Gall. Tract. I. c. 1. p. 336. T. I.

cundum ANTON. BENIVENIVM p), *nouum morbi genus*; ALPHONSVS FERRVS q) autem existimat, *de morbo, quem gallicum appellant, neminem ex antiquis scriptoribus aliquid in specie atoma scripsisse.*

Neque tamen subsistamus in testibus iis adducendis, qui morbi huius nouitatem satis superque demonstrarunt. Multorum enim testimoniis et plus fidei adhibendum videtur, et lectori hinc facilior aditus paratur ad perspiciendum, quam male fecerint, qui omnia veterum medicorum diligentiae deberi censuerunt. Nam et apud IOANN. DE VIGO r) dicitur illo tempore *apparuisse quoddam morbi genus quasi per totam Italiam incognitae naturae:* Apud ANTON. GALLVM s), *nouum malum*: Apud LEON. FVCHSIVM t), *morbus nouus omnique aeuo priore incognitus:* Apud ANTON. MVSAM BRASAVOLVM u), *noua lues:* Apud GABRIEL. FALLOPIVM v), *morbus temporibus patrum nondum repertus, nondum auditus*, et paulo post, *nouum morbi genus:* Apud BARTHOL. MONTAGNANAM w), *morbus* HIPPOCRATI, GALENO, AVICENNAE, *et aliis medicis antiquis incognitus:* Apud MARINVM BROCARDVM x), *noua aegritudo:* Apud BENE-

p) De Morb. Gall. p. 345. T. I. Coll. *Luisin.*
q) De Morb. Gall. L. III. c. 1. p. 373. T. I. et p. 137. ed. Basil. 1538.
r) De Morb. Gall. c. 1. p. 386. T. I. Coll. *Luis.*
s) De Ligno sancto non permiscendo, c. 1. p. 396. T. I.
t) De Morb. Gall. p. 514. T. I.
u) De Morb. Gall. p. 564. T. I.
v) De Morb. Gall. c. 1. p. 662. T. I.
w) De Morb. Gall. Consil. p. 5. T. II. Coll. *Luisin.*
x) De Morb. Gall. p. 9. T. II.

DICT. RENIVM y), *nostris temporibus morbus gallicus exortus, quem priora secula non viderint, aut cognouerint:* Apud PETR. TRAPOLINVM z), *morbus* HIPPOCRATI, GALENO, AVICENNAE *incognitus, et aliis medicis antiquis:* Apud BERNARDINVM TOMITANVM a), *infectio noua, insueta, atque auribus hominum, Italiae praesertim, inaudita:* Apud MICH. IO. PASCHALIVM b), *affectus antiquioribus ne per somnium quidem notus:* Apud PROSPERVM BORGARVTIVM c), *nouus in Italia morbus, antiqua carens appellatione, affectusque horribilis:* Apud ALEXANDRVM denique TRAIANVM PETRONIVM d), *morbus, si non cognitione, certe curatione nouus et antiquis incognitus* cet. Sed ohe, iam satis defensorum est, ne iusto longiores simus.

Restat, vt paucis *aduersarios* addamus, qui hanc *luis venereae nouitatem* praefracte negandam existimarunt. Quorum in numero habentur multi, iique clarissimi viri, SEBASTIANVS AQVILANVS e) et MARCELLVS CVMANVS f), cui *idem* ac *morbus Campanus* est, leprae similis, a PA-

PIA

y) De Morb. Gall. Consil. p. 18. T. II.
z) De Morb. Gall. p. 47. T. II.
a) De Morb. Gall. L. I. c. 5. p. 65. T. II.
b) De Morb. Gall. p. 146. T. II.
c) De Morb. Gall. Method. c. 1. p. 151. T. II.
d) De Morb. Gall. L. I. c. 2. p. 2. ad calc. T. II. Coll. *Luisin.* Cf. si placet, *Fürstenauii* Desiderat. Medic. n. II. §. 31. p. 162.
e) L. cit. c. 1. p. 2. T. I.
f) Obseru. Med. in *Welsch.* Syllog. Curat. §. 4. p. 30. Cf. *Ger. Io. Voss.* Theol. Gentil. III. 37.

PIA LOMBARDO iam anno cIↃCC. deſcriptus et anno demum cIↃCCCCLXXXVI. iterum viſus. Neque nuper abhorruit ab hac ſententia BECKETVS ff), atque morbum gallicum eundem cum lepra eſſe voluit. Qui ſi ſigna leprae atque luis huius, cuius natales adhuc quaerimus, bene inter ſe contuliſſet, aliter profecto iudicaſſet. Similiter haec morbi gallici nouitas inuiſa fuit IO. LANGIO g), CASPARI a REIES h), CAMPERIO i), MICH. ANGELO BLONDO ii), DODONAEO k), ZACVTO LVSITANO l), MAYNWARINGIO ll), medico Londinenſi, aliis; omnium tamen maxime VALESIVS m) et CAROLVS MVSITANVS n) hac

ff) Vid. ap. *Weiz.* V. Cl. Chirurg. Auszüge aus Diſp. B. V. n. 6. p. 182. ſequ.

g) Epiſtol. Medicinal. L. I. Ep. 42. p. 187. ed. *Hanov.*

h) Camp. Elyſ. Iucund. Quaeſt. Qu. 59. p. 766.

i) Prax. II. 12.

ii) De Orig. Morb. Gall. deque ligni Indici ancipiti Propriet. p. 234. ſequ. Coll. Chirurg. *Geſner.*

k) In Annot. ad *Beniuen.* ni fallor.

l) Princip. Hiſt. L. I. Hiſt. 73. p. 527. ſequ. Hoc in loco *veteribus notus et contagioſus ad diſtans* dicitur.

ll) In Hiſt. et Myſter. Luis Vener. c. 2. p. 17. ed. *Frft.* 1675. vbi, diſcuſſis plurimis reliquorum medicorum ſententiis, hoc morbi genus nouum eſſe negat, idque eo argumento fretus, quoniam quaedam eius ſymptomata iam commemorantur apud veteres. Quod an ſufficiat, aliis ad iudicandum relinquimus.

m) In Valeſian. p. 13. ſeq. et in Epid. *Hipp.* IV. Text. 1. et 4. p. 317. ſq. et paſſim aliis in locis horum commentar. Cf. *Dan. Sennert.* Prax. L. VI. P. IV. c. 1. p. 121. ſequ. qui haec placita argumentis ſuis refellenda curauit.

n) De la Maladie Venerienne L. I. Chap. 4. p. 88. T. I: Chirurg. Theoretico-Pract. ſ. Trutina Chir. T. IV. c. 4. p. 8. ſeq. Cf. *Paſch.* Inuent. Nou-Antiqu. c. 6. p. 383.

hac in re principatum tenuerunt, quorum alter huius mali originem inde ab priſcis temporibus et quauis immodica luxuria repetiit, adduxitque TIBERIVM Caeſarem, ſimiliter vt CASAVBONO o) viſum eſt, tanquam teſtem idoneum; alter vero ex vlcerum prouentu incredibilique libidinum apud veteres conſectatione et ſibi et rei ſuae praeclare conſultum voluit. At mehercle, infeliciter.

Habet quidem haec TACITVS p), de TIBERIO loquens: *Erant, qui crederent, in ſenectute quoque corpus habitum pudori fuiſſe, quippe illi pergracilis et incurua proceritas, nudus capillo vertex, vlceroſa facies, ac plerumque medicaminibus interſtincta.* Attamen haec omnia coniecturae debebantur et quorundam hominum inuidiae, qui ei ob crudelitatem ſuam minus fauerant, atque turpe illud capillorum profluuium prae ceteris culparant. Neque etiam fas eſt in ſignis nonnullis acquieſcere, vt ſine dubio hisce verbis fecit VALESIVS. *Cui autem nunc medicorum narraretur, alicui facta eſſe in capite vlcera ſordida et glabriciem capitis et menti ſine febre, et cum exulceratione pudendorum et faucium, ac poſtremo nudata excidiſſe oſſa, qui non affirmaret eſſe citra dubium gallicum morbum? Fuerunt vero in illa tempeſtate tales plurimi. Ob quos et multos alios affectus, qui in hoc opere et aliis* HIPPOCRATIS *narrantur, adducor, vt cenſeam, nihil in illo morbo eſſe nouum, quod-*

que

o) Comm. in *Suetonii* Vit. Tiber. c. 68. ſeq. p. 375. ed. *Graev.* vbi *ſubtiles tumores* per ἐκθύματα et ἴδρωα explicat.

p) Annal. IV. 57.

que priora secula non viderint. Cerea profecto veterum scriptorum monimenta sint necesse est, in quibus, quicquid placuerit, reperiundum sit, si haec coniectandi ratio valeat. Fac vero, TIBERIVM vere gallico morbo laborasse, vt VALESIO videtur, qui factum est, vt PLINIVS, cum mentagrae carbunculique tempus rite definiisset, huius morbi, siue antiquus, siue recens fuerit, nusquam meminerit? Meminissent vero sine dubio, qui post TIBERII fata vixerunt, si quid exinde maculae tyranno inurere potuissent.

Similiter vehementer fallitur CAROLVS MVSITANVS, qui quaeuis CELSI, GALENI, AVICENNAE, ceterorumque medicorum loca studiosius anquirit, aut etiam MARTIALIS q) lusibus abutitur. Ille enim quosdam traducendo sic callide risit:

Ficosa est vxor, ficosus et ipse maritus,
Filia ficosa est, et gener atque nepos.
Nec dispensator, nec villicus vlcere turpi,
Nec rigidus fossor, sed nec arator eget.
Cum sint ficosi pariter iuuenesque senesque,
Res mira est: Ficos non habet vnus ager.

O quam bene praeclareque haec dicta essent, si nullum vlcus pertinax et impurum, nisi a lue venerea, nasceretur, neque haec potius de turpi cynaedorum malo explicanda viderentur! Huc enim sine dubio IVVENALIS r) respexerat, cum ita quasi ab lectore quaereret:

Quis

q) L. VII. Epigr. 71.

r) Sat. 2. v. 8. sequ.

Quis enim non vicus abundat
Tristibus obscenis? Castigas turpia, cum sis
Inter Socraticos notissima fossa cinaedos.
Hispida membra quidem, et dura per brachia setae
Promittunt atrocem animum, sed podice laeui
Caeduntur tumidae, medico ridente, mariscae.

Attulerunt (fateor) GALENVS reliquique medici singula fortasse symptomata, quae propria quasi ac familiaria gallico morbo sunt; sed haec omnia obiter, imperfecte, nec satis huic malo apposite. Hinc si luis gallicae naturam et indolem probe perspectam habuerant atque cognitam, aut de summa negligentia accusandi sunt, id quod in tantos tamque praeclaros viros nullo modo cadere potest, aut ex hoc silentio satis elucescat necesse est, morbum hunc pestiferum veteribus medicis fuisse incognitum, in quo consentientes habemus IO. FREINDVM[rr]) atque RICH. MEADIVM[s]). At vero nouo argumento vsus est *Illustr.* REISKIVS[ss]), ad hanc nostram sententiam diruendam, idque *ab ingenti penis inflammatione* repetitur, *quae,* teste ABI OSEIBAH, *nata fuerat ex impuro cum bestia concubitu, cum caruncula vrethram obstruente, sanata modo prorsus empyrico atque crudeli. Impositum glabro lapidi penem medicus subito praeter aegri exspectationem, qua poterat vi, percutiebat manu in pugnum coacta, vt obturaculum et vlcus dissiliret. Sapit hic casus,*

rr) Hist. de Medecine, P. III. p. 266. sequ. ed. *Paris.* vbi simul omnes aduersariorum dubitationes bene refutantur.

s) Von den Kinderpock. L. I. p. 6. ed. *germ.*

ss) Obseruat. Miscell. Leid. 1746. def. p. 28.

ſus, *pergit* Ill. REISKIVS, *luem veneream*, *et poſſet inſeruire illis pro argumento, qui morbum hunc etiam veteribus cognitum fuiſſe contendunt. Accidit autem is caſus circa annum Chriſti 940.* Cuius argumenti infirmitatem cum probe perſentiſceret vir magnus, qua eſt mentis perſpicacia, ſtatim in margine haec adſcripſit. *Meam non facio iſtam litem de antiquitate luis venereae. Id tamen miror, ab antiquitatis patronis argumentum inde allatum non fuiſſe, quod veterum cinaedi paſſi fuerint in naribus et in palato vitium, a quo clare non potuerint eloqui, ſed* ῥέγχειν, *ſtertere et ronchiſſare debuerint. Cf. diſerta, ſed acris oratio* DIONIS CHRYSOSTOMI *Tarſica prior, n. XXXII. et praeſertim p. 409.* ἐπιχώριόν τε νόσημα ταῖς ῥισὶν ἐμπέπτωκεν. *Et p. 410.* Ἀποχωρῶν πτάρνυται, κἀκεῖνος εὐθὺς ἀνεβόησεν, ὡς εἴη κίναιδος. *Cf.* IVLIANI CAESARES *p. 4. l. 30. ed.* HEVSING. *et ex* PLINIO *citata ibidem in not. p. 57:* ISIDORVS MERCATOR, *ſcriptor ſeculi ſeptimi, in canone XVII. Synodi Ancyranae ex Codice Iuſtelli: Pro his, qui in animalibus, vt animalia, fruiti ſunt, vel in maſculis, leproſi efficiuntur.*

Peregregie profecto illa, et ingenio magni REISKII digniſſima. Sed liceat nobis hic modeſte diſſentire, quoniam a medico veram morbi cuiusque naturam expreſſam percupimus, non ſymptoma quoddam: hoc enim poteſt multis corporis noſtri malis adiunctum eſſe, quae nunquam pro lue gallica eandem ob cauſſam habenda exiſtimes. De cinaedis autem peruelim lectores meminerint, quae ſupra retulimus, cum VALESIVM et CA-

ROLVM MVSITANVM, ſummos eiusdem ſententiae patronos, leuiter corrigeremus.

Eadem, aut ſi mauis, longe maior, ac vehementior diſceptatio, de *luis* huius foedae *nomine* orta eſt, cum alii eam dicerent *morbum gallicum* t) vel *Francigenum* tt), quia eius originem ab expeditione CAROLI, Gallorum regis, vnice repeterent; alii *morbum Italum* u), idque Galli fecerant, FRACASTORIO v) teſte, *nominis iniuriam in Italos retorquentes;* alii *morbum Neapolitanum* w), alii *luem Hiſpanicam*, *morbum Hiſpanicum*, *ſcabiem Hiſpanicam* x); alii *morbum Indicum* y) ſiue *ſerpiginem Indicam* z); alii *luem veneream* a); alii *ſcabiem Gallicam* b), alii *pudendagram* c) aut etiam ex PLINII

t) *Nicol. Leonicen.* l. c. p. 15: *Maſſa* l. c. p. 36: *Scanarolus* l. c. p. 110: *Iac. Cataneus* l. c. p. 123: *Matthiol.* l. c. p. 215: *Hock.* l. c. p. 269. ſeq.

tt) *Laurent. Phriſius* l. c. p. 300.

u) *Fracaſtor.* l. c. p. 173. et *Fallop.* l. c. p. 663.

v) L. cit.

w) *Hutten* l. c. p. 241: *Hock* l. c. p. 270: *Phriſius* l. c. p. 300: *Io. de Vigo* l. c. p. 386: *Io. Paſchal.* l. c. p. 146. T. II.

x) *Ant. Gall.* l. c. p. 392. ſeq: *Leon. Fuchſius* l. c. p. 514: *Io. Manard.* l. c. p. 519: *Fallop.* l. c. p. 663: *Io. Syluius* l. c. p. 141. T. II.

y) *Alphonſ. Ferrus* l. c. p. 374. T. I. et *Proſp. Borgarut.* l. c. p. 150. T. II.

z) *Caſp. a Reies* Camp. Elyſ. Iucund. Quaeſt. Qu. 59. p. 764.

a) *Fernel.* Coll. *Luiſ.* cit. p. 524: *Proſp. Borgarut.* l. c. p. 151. T. II.

b) *Amat. Luſitan.* l. c. p. 560: *Fallop.* l. c. p. 662: *Reies* l. c. *Hier. Reuſner* ap. *Welſch.* Syllog. Obſeru. p. 60. T. I: aut etiam *luem gallicam*, vt *Alex. Fontana* p. 611. Coll. *Luiſ.*: *Ant. Fracantianus* l. c. p. 722: *Bern. Tomitan.* p. 58. T. II.

c) *Ant. Gallus* l. c. p. 396: *Caſp. Torrella* l. c. p. 423: *Io. Manard.* l. c. p. 519: *Fallop.* l. c. p. 663.

NII imitatione et quadam papularum in mento eruptione ducti *mentagram* d); alii, qui ab Arabum steterant partibus, hoc mali genus *saphati* et *tusium* e) appellandum esse existimarunt; alii *morbum S. Maeuii* f), id quod praecipue apud Germanos vsu venit, aut *Meuium* g); alii *Parthonopaeum* h), *κοσμικὸν* i), *catholicum* k), *europaeum* kk), *morbum curialem* l), denique *malum mortuum* s. *melancholicos varos* m).

Similis ratio nominum est, quae apud plebeios obtinuerunt. Sic hunc morbum Hispani appellarunt *Patursam* n), aut etiam *de las Buas* o); Catalonii, Valentini ac Arragonenses *morbum S. Sementi* p) idque ex CASP. TORRELLAE mente eam ob caussam, *quia in duodecimo libro Christiani, edito a magi-*

d) *Matthiol.* l. c. p. 219: *Hock* l. c. p. 272.

e) *Natalis Montesaurus*, l. c. p. 103: Quem vero eundem cum lue gallica esse negat *Ant. Scanarolus* l. c. p. 110. seq.

f) *Io. Benedict.* l. c. p. 148: *Fracastor.* l. c. p. 173.

g) *Hutten* l. c. p. 241: *Fallop.* l. c. p. 663: *Prosp. Borgarut.* l. c. p. 151. T. II.

h) *Ant. Gallus* l. c. p. 396: *Io. Syluius* l. c. p. 141. T. II.

i) Sic eum appellarat *Blasius Hollerius*, teste *Syluio* l. c.

k) *Prosp. Borgarut.* l. c. p. 150. T. II.

kk) *Bernardin. Tomitan.* l. c. p. 64. T. II. Coll. *Luisin.*

l) *Hock* l. c. p. 270: *Casp. Torella* l. c. p. 420. idque, eo auctore, *in vlteriori Hispania, quia curiam insequitur.*

m) *Casp. Torrella* l. c. et *Matthiol.* l. c. p. 213.

n) *Fracastor.* l. c. p. 173: *Io. Almenar.* l. c. p. 311. Nomen illud ab Indis repetiit *Fallop.* l. c. p. 663. Quo iure, alii videant.

o) *Consalu. Ferrandus* l. c. p. 380. seq.: *Io. de Vigo* l. c. p. 386.

p) Ap. *Hock* l. c. p. 270. et *Casp. Torrellam* l. c. p. 421, 430. seq.

magiſtro FRANCISCO XIMENES, *ſcriptum invenerunt, ſimilem morbum alias orbem inuaſiſſe*, aut ſi mauis, *quia eius auxilio implorato plurimi curantur, et praeſertim, ſi ad eius corpus perueniunt pedes ambulando et eleemoſynam quaerendo* cet. Similiter apud Genuenſes dicebatur, *lo male de la Tavelle* apud *Tuſcos*, *lo male de le Bulle*, et apud Lombardos denique, *lo male de le Broſule* q): Apud Celtas vero, *groſſa varola*, idque, auctore ANTONIO GALLO r), *quod puſtulis vndique totum corpus ſcateret, exanthematum more, quos Latini varos dicunt*, cet.

In tanta igitur nominum diuerſitate dubii tandem haeſerunt multi medici, nec, quod potiſſimum eligendum ſit, ſatis ſibi conſtiterunt. Accidit id vel maxime BERNARDINO TOMITANO s): *Siue hic morbus Gallicus ſit vocandus*, inquit, *ſiue Hiſpanus, ſiue Italus, ſiue Neapolitanus, ego nunc communem infectionem dixerim, cum iam orbem paene totum peruagarit. — Neque etiam magnam vim in eo facerem, vt morbum vel peſtem, vel contagium, vel mentagram, vel ſcabiem, vel variolam gallicam appellemus, vel et pudendagram, vel alio quouis nomine, eum vocemus, vt Syphilidis aut* κακαφροδίτης, *hoc eſt, malae veneris*.

In quo cum tanta ſit veterum auctorum diſſenſio, vt alius aiat, alius neget, non mirum profecto eſſe debet, hos multo magis in *mali* huius immaniſſimi

q) Ap. *Io. de Vigo* l. c. p. 386.
r) L. cit. p. 396. *Caſp. Torrella* l. c. p. 430. vbi id potiſſimum *Pariſiis et a Franciae litteratis factum eſſe* dicitur.
s) L. cit. p. 64. T. II. Coll. *Luiſin.*

manifſimi *origine ac cauſſa* tantopere a ſe inuicem abhorruiſſe, vt exinde facile colligas, nouum hoc morbi genus fuiſſe. Alii enim eius natales ad ea tempora referunt, quibus CAROLVS, Gallorum rex, Neapolitanum regnum bello adortus eſt, eaque eſt ſententia omnium antiquiſſima t); alii ad *contagem* quandam, ſiue illa a *meretricum vendibilium venere* u) orta ſit, ſiue a *coitu cum leproſis* v) *et elephantiacis*; alii ab *aſtris* w) malum repetendum exiſtimarunt: alii ab *inundationibus* x), *pluuiarum frequentia*

t) *Leonicen.* l. c. p. 15. T. I. Coll. *Luiſ.*: *Cataneus* l. c. p. 123: *Benedict.* l. c. p. 149: *Fracaſtor.* l. c. p. 173, qui tamen eum contagioſum eſſe ex parte negat: *Matthiol.* l. c. p. 218: *Hutten* l. c. p. 241: *Hock* l c. p. 268: De anno ipſo autem ambigunt. *Phriſio* enim (l. c. p. 299.) *Petr. Maynardo* (l. c. p. 336.) et *Beniuenio* (l. c. p. 345.) videtur annus 1496. eſſe; at vero *Io. de Vigo* (l. c. p. 386), *Caſp. Torrellae* (l. c. p. 424. ſeq.), *Montano* (l. c. p. 476.), *Manardo* (l. c. p. 634.), *Fallopio* (l. c. p. 662.), *Fernelio* (l. c. p. 524.), *Nic. Macchello* (l. c. p. 634.) et *Muſae* (l. c. p. 564.) annus 1494. Cf maxime hac de re *Caſp. a Reies* Camp. Elyſ. Iuc. Quaeſt. Qu. 59. p. 768. et *Heuermann.* Beobachtung. P. II. p. 1. ſequ.

u) *Montan.* l. c. p. 477: *Manard.* l. c. p. 521: *Fernel.* l. c. p. 527.

v) *Caſp. a Reies* l. c. p. 770. Ab ſola vero *ſpiritus admiſſione* contagem iſtam repetiit *Benedict. Victorius Faventinus* p. 528. T. I. Coll. *Luiſin.*

w) *Maſſa* l. c. p. 41; quos riferat *Benedict.* l. c. p. 149: Ap. *Hutten* l. c. p. 242: *Hock* l. c. p. 270: Ab *conſtellatione Phriſius* l. c. p. 301: *Petr. Maynard.* l. c. p. 338: *Fernel.* l. c. p. 524: *Io. Langius* Epiſt. Medicinal. L. I. Ep. 42. p. 181: Sed diſplicuit haec ſententia *Montano* l. c. p. 476. et *Muſae* l. c. p. 577. ſeq.

x) *Leonicen.* l. c. p. 32. T. I. Coll. *Luiſ.*: *Hutten* l. c. p. 142.

quentia [y]) et *aeris corruptione* [z]); alii ab *hepate* [a]); alii ab *aquarum pestilentia* [b]) atque *pane gypsi adiectione exitioso*; alii denique ab *potione vini* [c]), *quod Hispani leprosorum sanguine contaminarant*.

Sed ne hic quidem constitit hominum in coniectando temeritas, quippe alius aliam opinionem pro arbitratu profundendam curauit. Sic enim famosus ille empiricus, FIORAVANTI [d]) mali huius

y) *Natalis* l. c. p. 103. seq. *Leonicen.* l. c. quem redarguerunt hac de re *Manardus* l. c. p. 519. atque *Musa* l. c. p. 575.

z) *Heuermann.* Beobachtung. P. II. p. 7. seq.

a) *Nic. Massa* l. c. p. 37: *Matthiol.* l. c. p. 218: *Hutten* l. c. p. 242: *Phrisius* l. c. p. 312.

b) *Fallop.* l. c. p. 662.

c) Sic senserat *Andr. Caesalpinus* Specul. Art. Med. *Hipp.* L. IV. 2. p. 235. sequ. ed. Frft. et prae ceteris c. 3. p. 239. Cf. *Heuermann.* Beobacht. P. II. p. 8.

d) Del Tesoro della Vita Hum. I. 14. p. 10. b. inprimis vero cf. *Heuermann* Beobacht. P. II. p. 8. et *Paschium* Inuent. Nou-Antiqu. c. 6. p. 380. Sed falluntur vehementer, si qui ita senserint. Etsi enim facile largiar, Cannibalos vt carnium humanarum esui adsuetissimos, ita etiam hac dira lue infectos esse; tantum tamen absum ab ista opinione, vt eam ludicram, fallacem minusque veram iudicem. Quid enim isti ad nos, qui hisce deliciis nunquam fuimus dediti? Deinde omnia omnino, quae de id genus epulis Thyesteis proferuntur, incerti auctoris sunt, adeoque fide nostra indignissima. Accedit et illud, quod *Fiorauanti* male rei suae consuluisse censendus est, cum reliquarum bestiarum exemplo abuteretur ad auctoritatem quandam futili huic rei conciliandam. Id enim audacter adfirmat, animantia quaeque, vbi sui generis carnem deuorarint, paucis diebus interiectis, defluuia setarum, pilorum, plumarumque perpessa fuisse. Sed falsus profecto in experiundo *Fiorauanti* est. Sues enim et feles ipsos foetus suos, inter omnes constat, perlubenter deglutire, inprimis

huius originem et cauſſas ex *eſu carnium humanarum* deduxerat, quippe, eo auctore, mercatores, ſacra auri fame lucrique ſtudio ducti, in magna annonae caritate minutatim caeſa mortuorum militum cadauera variis ciborum generibus admiſcuiſſe perhibentur; quocum, quod ſatis mirari nequeo, conſentit magnus BACO DE VERVLAMIO [e]). Nec abſimilis HELMONTII [f]) coniectura eſt, qui luem veneream natam eſſe credidit ex *coitu hominis cum equo, qui vlcere foetido diffluεret, quem den Wurm dicunt.* Porro alii hanc peſtem *Nigritis* attribuunt, vt SYDENHAMVS [g]) fecerat; alii pro quadam *leprae* [h]) aut *ſcabiei* [i]) ſpecie habent, eamque cum *elephantiaſi* [k]) confundunt, alii, vt LISTERVS [kk]), cum virga hoc in malo vehementer tendatur, oriri illud ab ictu et eſu ſerpentis perhi-

primis ſi ſecundas prius deuorarint, lupos vero canum viſcerationibus gaudere, neque tamen vnquam ex periculoſa iſta exitioſaque voracitate id genus infortunii eis accidiſſe, aut ipſe vidi, aut etiam ex colonis ac venatoribus reſcire potui. Abeant igitur, qui hiſce nugis delectantur, resque ſuas agant feliciter.

e) Hiſtor. Natural. Cent. I. 26. p. 15. Amſtel. 1661.

f) Tumul. Peſtis, *Opp.* p. 222.

g) Ep. II. ad *Paman.* p. 204. T. I. ed. *Genev.*

h) Cf. *Heuermann* l. c. p. 5.

i) *Io. Benedict.* De Morb. Gall. p. 148. T. I. Coll. *Luiſ.*

k) Sic *Sebaſtian. Aquilan.* l. c. p. 2. ſeq.: *Catan.* l. c. p. 125: *Fallop.* l. c. p. 663: *Fracaſtor.* l. c. p. 177: *Fernel.* l. c. p. 526: *Matthiol.* l. c. p. 215: *Hock* l. c. p. 269: Negat *Manardus* l. c. p. 517. afferit vero *Maynardus* l. c. p. 521. Cf. *Io. Langii* Epiſt. Medicinal. I. Ep. 42. p. 181. *Paracelſus* ap. *Heuermann.* l. c. p. 8. et *Wedel.* Exercit. Medico-Philol. Dec. IV. Cent. II. Ex. 9.

kk) Ap. *Weiz.* l. cit. p. 182. ſequ.

perhibent; alii denique aliter, ſemperque ambigentes l), ſiquidem etiam a medicis quaerebatur, *lues gallicus morbus eſſet, nec ne* m); *vtrum epidemicus*, et id genus alia, quae et apud BERNARDINVM TOMITANVM n) leguntur, et certiſſimo argumento ſunt, hoc valitudinis aduerſae genus nouum veteribusque medicis incognitum fuiſſe.

Id quod etiam vel exinde patet, quod IOANNES BVRCHARDVS nn), *Argentinenſis, capellae Alexandri VI. Papae clericus cerimoniarum magiſter*, cum huius pontificis res geſtas deſcriberet, non, niſi anno CIↃCCCCLXXXXVII. quo *Carolus* VIII. Galliarum rex, apoplexia correptus perierat, et *cortegianas h. e. meretrices honeſtas* expreſſe nominet, et aliquos *morbo gallico* laborantes adducat. *Hoc mane*, inquid BVRCHARDVS, *fuerunt mitrati ſex ruſtici et venditores olei, et fuſtigati, ex eo, quod recepto pretio a quibusdam morbo gallico laborantibus, qui illorum oleo tinis impoſito et balneati ab eadem infirmitate ſe liberos euadere ſperabant in his tinis oleo plenis illos balneari permiſerant, et poſt balneum oleum in vaſis ſuis repoſuerunt, et pro bono et mundo aliis per vrbem more ſolito vendiderunt.* Iam vero

l) *Petr. Trapolin.* l. c. p. 46. T. II. Coll. *Luiſin.*

m) Sic *Bernardin. Tomitan.* l. c. p. 66. T. II.

n) L. cit.

nn) Hiſt. Arcan. ſ. De Vita *Alex.* VI. Papae ſ. Excerpt. ex Diario *Burch.* p. 44. et p. 77. ſequ. ed. *Leibnit.* vbi iterum in foediſſima conuiuia cuiusdam deſcriptione *quinquaginta meretrices honeſtae, Cortegianae nuncupatae*, quas paulo poſt *vrbanas* dixerat aliquis, pluribus deſcribuntur.

vero *Ferdinandus*, Siciliae et Neapolis rex, anno cIↃCCCCLXXXXIII. *obiit ſine luce*, *ſine cruce et ſine deo*, vt idem ille BVRCHARDVS °) iure, neſcio, quo memoriae prodidit, atque ſequenti anno *Carolus*, Francorum rex, hoc regnum bello adortus eſt, neque prius aliquis auctor fide dignus morbi huius turpiſſimi meminit, adeoque hinc profecto ſequitur, eum non, niſi hoc temporis interuallo ortum fuiſſe videri.

Similis ratio *ſymptomatum* eſt, quae morbo gallico adiuncta quaſique propria ſunt. Quae cum tam varie ac multipliciter a ſe recederent, accidit, vt innumerae fere mali huius ſpecies fierent, quarum partim meminit PROSPER BARBARVTIVS °°), partim vero maiori cum diligentia, et accuratione lucidoque ordine ANTONIVS MVSA BRASAVOLVS p). Quae ſignorum diuiſio quia et lectu digniſſima videtur, et ſcitu perquam neceſſaria, veniam facile lectores nobis daturos, exiſtimamus, ſi iſta ad verbum adſcripſerimus. *A ſimplicibus*, inquit ille, *ita exordiamur.*

Scabies gallicae.
Dolores gallici.
Tumores gallici.
Deſluuium pilorum.
Deſluuium dentium.
Vnguium caſus.
Oculorum amiſſio vel peruerſio.
Gonorrhoea.

 Hae

o) L. cit. p. 6. ſeq.
oo) L. cit. p. 153. T. I.
p) L. cit. p. 565.

Hae ſunt ſimplices ſpecies, ex quibus 28. oriuntur duplices, videlicet

Scabies gallica cum doloribus.
Scabies gallica cum tumoribus.
Scabies gallica cum defluuio pilorum.
Scabies gallica cum dentium caſu.
Scabies gallica cum vnguium caſu.
Scabies gallica cum oculorum amiſſione.
Scabies gallica cum gonorhoea.

Dolores gallici cum tumoribus.
Dolores gallici cum defluuio pilorum.
Dolores gallici cum dentium caſu.
Dolores gallici cum vnguium caſu.
Dolores gallici cum amiſſione oculorum.
Dolores gallici cum gonorrhoea.

Tumores gallici cum defluuio pilorum.
Tumores gallici cum dentium caſu.
Tumores gallici cum vnguium caſu.
Tumores gallici cum oculorum amiſſione.
Tumores gallici cum gonorrhoea.

Defluuium pilorum cum dentium caſu..
Defluuium pilorum cum vnguium caſu.
Defluuium pilorum cum oculorum amiſſione.
Defluuium pilorum cum gonorrhoea.
Dentium caſus cum vnguium caſu.
Dentium caſus cum oculorum amiſſione.
Dentium caſus cum gonorrhoea.

Vnguium caſus cum oculorum amiſſione.
Vnguium caſus cum gonorrhoea.

Oculorum amiſſio cum gonorrhoea.

Poſt

Post duplices species, quae viginti octo sunt, triplices sequuntur species, quae ex tribus simplicibus fiunt complicatis; et sunt numero quinquaginta sex, videlicet

SCABIES gallica cum doloribus et tumoribus.
Scabies gallica cum doloribus et defluuio pilorum.
Scabies gallica cum doloribus et dentium defluuio.
Scabies gallica cum doloribus et vnguium casu.
Scabies gallica cum doloribus et oculorum amissione.
Scabies gallica cum doloribus et gonorrhoea.
Scabies gallica cum tumoribus et pilorum defluuio.
Scabies gallica cum tumoribus et casu dentium.
Scabies gallica cum tumoribus et vnguium casu.
Scabies gallica cum tumoribus et oculorum amissione.
Scabies gallica cum tumoribus et gonorrhoea.
Scabies gallica cum defluuio pilorum et casu dentium.
Scabies gallica cum defluuio pilorum et casu vnguium.
Scabies gallica cum defluuio pilorum et oculorum amissione.
Scabies gallica cum defluuio pilorum et gonorrhoea.
Scabies gallica cum dentium casu et vnguium casu.
Scabies gallica cum dentium casu et oculorum amissione.
Scabies gallica cum dentium casu et gonorrhaea.
Scabies gallica cum vnguium casu et oculorum amissione.
Scabies gallica cum vnguium casu et gonorrhaea.
Scabies gallica cum oculorum amissione et gonorrhoea.

DOLORES gallici cum tumoribus et pilorum defluuio.
Dolores gallici cum tumoribus et dentium defluuio.
Dolores gallici cum tumoribus et vnguium casu.

Dolores gallici cum tumoribus et oculorum amiſſione.
Dolores gallici cum tumoribus et gonorrhoea.
Dolores gallici cum defluuio pilorum et dentium caſu.
Dolores gallici cum defluuio pilorum et vnguium caſu.
Dolores gallici cum defluuio pilorum et oculorum amiſſione.
Dolores gallici cum defluuio pilorum et gonorrhoea.
Dolores gallici cum defluuio dentium et caſu vnguium.
Dolores gallici cum defluuio dentium et oculorum amiſſione.
Dolores gallici cum defluuio dentium et gonorrhoea.
Dolores gallici cum vnguium caſu et oculorum amiſſione.
Dolores gallici cum vnguium caſu et gonorrhoea.
Dolores gallici cum oculorum amiſſione et gonorrhoea.
TVMORES gallici cum caſu pilorum et caſu dentium.
Tumores gallici cum caſu pilorum et caſu vnguium.
Tumores gallici cum caſu pilorum et oculorum amiſſione.
Tumores gallici cum caſu pilorum et gonorrhoea.
Tumores gallici cum caſu dentium et caſu vnguium.
Tumores gallici cum caſu dentium et oculorum amiſſione.
Tumores gallici cum caſu dentium et gonorrhaea.
Tumores gallici cum caſu vnguium et oculorum amiſſione.
Tumores gallici cum caſu vnguium et gonorrhoea.
Tumores gallici cum oculorum amiſſione et gonorrhoea.
DEFLVVIVM pilorum cum caſu dentium et caſu vnguium.

Deflu-

Defluuium pilorum cum casu dentium et oculorum amissione.
Defluuium pilorum cum casu dentium et gonorrhoea.
Defluuium pilorum cum casu vnguium et oculorum amissione.
Defluuium pilorum cum casu vnguium et gonorrhoea.
Defluuium pilorum cum oculorum amissione et gonorrhoea.
CASVS dentium cum casu vnguium et oculorum amissione.
Casus dentium cum casu vnguium et gonorrhoea.
Casus dentium cum oculorum amissione et gonorrhoea.
Vnguium casus cum oculorum amissione et gonorrhoea.

Post species triplices, quae quinquaginta sex sunt, species quadruplices numerare oportet, hoc est, quae sunt ex quatuor passionum praedictarum complicatione, et sunt numero sexaginta quatuor, videlicet

SCABIES gallica, cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis et defluuio pilorum.
Scabies gallica, cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis et dentium casu.
Scabies gallica, cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis et vnguium casu.
Scabies gallica, cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis, et oculorum amissione.
Scabies gallica, cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis et gonorrhoea.
Scabies gallica, cum doloribus gallicis, defluuio pilorum et casu dentium.
Scabies gallica, cum doloribus gallicis, defluuio pilorum et casu vnguium.

Scabies gallica, cum doloribus gallicis, defluuio pilorum et oculorum amiſſione.

Scabies gallica, cum doloribus gallicis, defluuio pilorum et gonorrhoea.

Scabies gallica, cum doloribus gallicis, defluuio dentium et caſu unguium.

Scabies gallica, cum doloribus gallicis, defluuio dentium et oculorum amiſſione.

Scabies gallica, cum doloribus gallicis, defluuio dentium et gonorrhoea.

Scabies gallica, cum doloribus gallicis, caſu vnguium et oculorum amiſſione.

Scabies gallica, cum doloribus gallicis, caſu vnguium et gonorrhoea.

Scabies gallica, cum doloribus gallicis, oculorum amiſſione et gonorrhoea.

Scabies gallica, cum tumoribus gallicis, defluuio pilorum ac caſu dentium.

Scabies gallica, cum tumoribus gallicis, defluuio pilorum et caſu vnguium.

Scabies gallica, cum tumoribus gallicis, defluuio pilorum et oculorum amiſſione.

Scabies gallica, cum tumoribus gallicis, defluuio pilorum et gonorrhaea.

Scabies gallica, cum tumoribus gallicis, defluuio dentium, et caſu vnguium.

Scabies gallica, cum tumoribus gallicis, defluuio dentium et oculorum amiſſione.

Scabies gallica, cum tumoribus gallicis, defluuio dentium et gonorrhoea.

Scabies gallica, cum tumoribus gallicis, caſu vnguium, et oculorum amiſſione.

Scabies

Scabies gallica, cum tumoribus gallicis, caſu vnguium et gonorrhoea.

Scabies gallica, cum tumoribus gallicis, amiſſione oculorum et gonorrhoea.

Scabies gallica, cum defluuio pilorum, caſu dentium et vnguium caſu.

Scabies gallica, cum defluuio pilorum, caſu dentium, et oculorum amiſſione.

Scabies gallica, cum defluuio pilorum, caſu dentium, et gonorrhoea.

Scabies gallica, cum defluuio pilorum, caſu unguium et oculorum amiſſione.

Scabies gallica, cum defluuio pilorum, caſu vnguium et gonorrhoea.

Scabies gallica, cum defluuio dentium, caſu vnguium, et oculorum amiſſione.

Scabies gallica, cum defluuio dentium, caſu vnguium et gonorrhoea.

Scabies gallica, cum caſu vnguium, oculorum amiſſione, et gonorrhoea.

DOLORES gallici, cum tumoribus gallicis, defluuio pilorum et caſu dentium.

Dolores gallici, cum tumoribus gallicis, defluuio pilorum et caſu vnguium.

Dolores gallici, cum tumoribus gallicis, defluuio pilorum, et oculorum amiſſione.

Dolores gallici, cum tumoribus gallicis, defluuio pilorum et gonorrhoea.

Dolores gallici, cum tumoribus gallicis, defluuio dentium et caſu vnguium.

Dolores gallici, cum tumoribus gallicis, defluuio dentium, et oculorum amiſſione.

Dolores

Dolores gallici, cuu tumoribus gallicis, defluuio dentium et gonorrhoea.

Dolores gallici, cum pilorum defluuio, dentium casu, et casu unguium.

Dolores gallici, cum pilorum defluuio, dentium casu et oculorum amissione.

Dolores gallici, cum pilorum defluuio, dentium casu et gonorrhoea.

Dolores gallici, cum defluuio pilorum, casu vnguium et oculorum amissione.

Dolores gallici, cum defluuio pilorum, casu vnguium et gonorrhoea.

Dolores gallici, cum defluuio pilorum, oculorum amissione, et gonorrhoea.

Dolores gallici, cum defluuio dentium, casu vnguium et oculorum amissione.

Dolores gallici, cum defluuio dentium, casu vnguium et gonorrhoea.

Dolores gallici, cum defluuio dentium, oculorum amissione, et gonorrhoea.

Dolores gallici, cum casu vnguium, oculorum amissione, et gonorrhoea.

TVMORES gallici, cum defluuio pilorum, dentium casu, et vnguium casu.

Tumores gallici, cum defluuio pilorum, dentium casu, et oculorum amissione.

Tumores gallici, cum defluuio pilorum, dentium casu et gonorrhoea.

Tumores gallici, cum defluuio pilorum, casu vnguium et oculorum amissione.

Tumores gallici, cum defluuio pilorum, casu vnguium et gonorrhoea.

Tumores

Tumores gallici, cum defluuio pilorum, oculorum amiſſione, et gonorrhoea.

Tumores gallici, cum defluuio dentium, caſu vnguium et oculorum amiſſione.

Tumores gallici, cum defluuio dentium, caſu vnguium et gonorrhoea.

Tumores gallici, cum defluuio dentium, oculorum amiſſione, et gonorrhaea.

DEFLVVIVM pilorum, cum defluuio dentium, caſu vnguium et oculorum amiſſione.

Defluuium pilorum, cum defluuio dentium, caſu vnguium, et gonorrhoea.

Defluuium pilorum, cum defluuio dentium, oculorum amiſſione, et gonorrhoea.

Defluuium pilorum, cum caſu vnguium, oculorum amiſſione et gonorrhoea.

Defluuium dentium, cum caſu vnguium, oculorum amiſſione, et gonorrhoea.

Nunc illa ſequuntur, quae ſpecies vel modos faciunt per complicationem ſimul quinque ſimplicium ſpecierum, et ſunt numero quadraginta ſeptem.

SCABIES gallica, cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis, defluuio pilorum, et caſu dentium.

Scabies gallica, cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis, defluuio pilorum, et caſu vnguium.

Scabies gallica, cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis, defluuio pilorum, et oculorum amiſſione.

Scabies gallica, cum doloribus gallicis tumoribus gallicis, defluuio pilorum, et gonorrhoea.

Scabies gallica, cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis, caſu dentium, et caſu vnguium.

Scabies

Scabies gallica, cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis, caſu dentium, et oculorum amiſſione.

Scabies gallica, cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis, caſu dentium, et gonorrhoea,

Scabies gallica, cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis, caſu vnguium et oculorum amiſſione.

Scabies gallica, cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis, caſu vnguium et gonorrhoea.

Scabies gallica, cum doloribus gallicis; tumoribus gallicis, oculorum amiſſione, et gonorrhoea.

Scabies gallica, cum doloribus gallicis, defluuio pilorum, caſu dentium, et vnguium caſu.

Scabies gallica, cum doloribus gallicis, defluuio pilorum, caſu dentium, et oculorum amiſſione.

Scabies gallica, cum doloribus gallicis, defluuio pilorum, caſu dentium, et gonorrhoea.

Scabies gallica, cum doloribus gallicis, defluuio dentium, caſu vnguium, et oculorum amiſſione.

Scabies gallica, cum doloribus gallicis, defluuio dentium, caſu vnguium et gonorrhoea.

Scabies gallica, cum doloribus gallicis, defluuio dentium, oculorum amiſſione, et gonorrhoea.

Scabies gallica, cum doloribus gallicis, caſu vnguium, oculorum amiſſione, et gonorrhoea.

Scabies gallica, cum tumoribus gallicis, defluuio pilorum, caſu dentium, et caſu vnguium.

Scabies gallica, cum tumoribus gallicis, defluuio pilorum, caſu dentium, et oculorum amiſſione.

Scabies gallica, cum tumoribus gallicis, defluuio pilorum, caſu dentium et gonorrhoea.

Scabies gallica, cum tumoribus gallicis, defluuio pilorum, caſu vnguium, et oculorum amiſſione.

Scabies

Scabies gallica, cum tumoribus gallicis, defluuio pilorum, casu vnguium, et gonorrhoea.

Scabies gallica, cum tumoribus gallicis, defluuio dentium, casu vnguium, et oculorum amissione.

Scabies gallica, cum tumoribus gallicis, defluuio dentium, casu vnguium, et gonorrhoea.

Scabies gallica, cum tumoribus gallicis, casu vnguium, oculorum amissione, et gonorrhoea.

Scabies gallica, cum defluuio pilorum, casu dentium, casu vnguium, et oculorum amissione.

Scabies gallica, cum defluuio pilorum, casu dentium, casu vnguium et gonorrhoea.

Scabies gallica, cum defluuio pilorum, casu vnguium, cum oculorum amissione et gonorrhoea.

Scabies gallica, cum defluuio dentium, casu vnguium, oculorum amissione, et gonorrhoea.

DOLORES gallici, cum tumoribus gallicis, defluuio pilorum, casu dentium, et casu vnguium.

Dolores gallici, cum tumoribus gallicis, defluuio pilorum, casu dentium, et oculorum amissione.

Dolores gallici, cum tumoribus gallicis, defluuio pilorum, casu dentium et gonorrhoea.

Dolores gallici, cum tumoribus gallicis, defluuio dentium, casu vnguium, et oculorum amissione.

Dolores gallici, cum tumoribus gallicis, defluuio dentium, casu vnguium, et gonorrhoea.

Dolores gallici, cum tumoribus gallicis, defluuio dentium, oculorum amissione et gonorrhoea.

Dolores gallici, cum tumoribus gallicis, casu vnguium, oculorum amissione, et gonorrhoea:

Dolores

Dolores gallici, cum defluuio pilorum, casu dentium et vnguium, cum oculorum amissione.

Dolores gallici, cum defluuio pilorum, casu dentium et vnguium, cum gonorrhoea.

Dolores gallici, cum defluuio pilorum, casu dentium, cum oculorum amissione, et gonorrhoea.

Dolores gallici, cum defluuio pilorum, casu vnguium, oculorum amissione, et gonorrhoea.

Dolores gallici, cum defluuio dentium, casu vnguium, oculorum amissione, et gonorrhoea.

TVMORES gallici, cum defluuio pilorum, casu dentium, et vnguium casu, cum oculorum amissione.

Tumores gallici, cum defluuio pilorum, casu dentium, cum vnguium casu, et gonorrhoea.

Tumores gallici, cum defluuio pilorum, casu dentium, cum oculorum amissione, et gonorrhoea.

Tumores gallici, cum defluuio pilorum, casu vnguium, oculorum amissione, et gonorrhoea.

Tumores gallici, cum defluuio dentium, casu vnguium, cum oculorum amissione, et gonorrhoea.

DEFLVVIVM pilorum, cum casu dentium, cum casu vnguium, oculorum amissione, et gonorrhoea.

Post hos quadraginta septem modos, qui sunt per complicationem quinque simul simplicium modorum, sequuntur viginti duo modi, qui sunt ex complicatione sex modorum simplicium simul, videlicet

SCABIES gallica, cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis, defluuio pilorum, casu dentium et casu vnguium.

Scabies

Scabies gallica, cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis, defluuio pilorum, casu dentium et oculorum amissione.

Scabies gallica, cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis, defluuio pilorum, casu dentium, et gonorrhoea.

Scabies gallica, cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis, defluuio pilorum, casu vnguium, et oculorum amissione.

Scabies gallica, cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis, pilorum defluuio, casu vnguium, et gonorrhoea.

Scabies gallica, cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis, defluuio pilorum, oculorum amissione, et gonorrhoea.

Scabies gallica, cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis, dentium casu, casu vnguium, et oculorum amissione.

Scabies gallica, cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis, defluuio dentium, casu vnguium, et gonorrhoea.

Scabies gallica, cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis, casu vnguium, oculorum amissione, et gonorrhoea.

Scabies gallica, cum doloribus gallicis, defluuio pilorum, casu dentium, casu vnguium, et oculorum amissione.

Scabies gallica, cum doloribus gallicis, defluuio pilorum, casu dentium, casu vnguium, et gonorrhoea.

Scabies gallica, cum doloribus gallicis, defluuio dentium, casu vnguium, oculorum amissione et gonorrhoea.

Scabies gallica, cum tumoribus gallicis, defluuio pilorum, casu dentium, vnguium casu, et oculorum amissione.

Scabies gallica, cum tumoribus gallicis, defluuio pilorum, casu dentium, vnguium casu, et gonorrhoea.

Scabies gallica, cum tumoribus gallicis, defluuio pilorum, dentium casu, oculorum amissione, et gonorrhoea.

Scabies gallica, cum tumoribus gallicis, defluuio dentium, casu vnguium, oculorum amissione, et gonorrhoea.

Scabies gallica, cum defluuio pilorum, casu dentium, vnguium casu, oculorum amissione, et gonorrhoea.

DOLORES gallici, cum tumoribus gallicis, defluvio pilorum, casu dentium, vnguium casu, et oculorum amissione.

Dolores gallici, cum tumoribus gallicis, defluuio pilorum, casu dentium, vnguium casu, et gonorrhoea.

Dolores gallici, cum tumoribus gallicis, defluuio dentium, casu vnguium, oculorum amissione et gonorrhoea.

Dolores gallici, cum defluuio pilorum, dentium casu, casu vnguium, oculorum amissione, et gonorrhoea.

TVMORES gallici, cum defluuio pilorum, casu dentium, casu vnguium, oculorum amissione, et gonorrhoea.

Post

Post viginti duos modos ex mistione sex simplicium modorum simul, octo sequuntur modi, per complicationem septem simplicium modorum, videlicet

SCABIES gallica, cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis, defluuio pilorum, casu dentium, vnguium casu, et oculorum amissione.

Scabies gallica, cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis, defluuio pilorum, casu dentium, casu vnguium et gonorrhoea.

Scabies gallica, cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis, defluuio pilorum, casu dentium, oculorum amissione, et gonorrhoea.

Scabies gallica, cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis, defluuio pilorum, casu vnguium., oculorum amissione, et gonorrhoea.

Scabies gallica, cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis, defluuio dentium, casu vnguium, oculorum amissione, et gonorrhoea.

Scabies gallica, cum doloribus gallicis, defluuio pilorum, casu vnguium, dentium casu, oculorum amissione, et gonorrhoea.

Scabies gallica, cum tumoribus gallicis, defluuio pilorum, casu dentium, casu vnguium, oculorum amissione, et gonorrhoea.

DOLORES gallici, cum tumoribus gallicis, defluuio pilorum, casu dentium, casu vnguium, oculorum amissione, et gonorrhoea.

Post species illas, quae variationem habent per septem, (et octo sunt species) illae sequuntur, quae variationem habent per octo conditiones. Verum cum tantum octo

ſint conditiones, quae octo faciunt ſimplices ſpecies, idcirco erit tantum vna ſpecies, quae omnes octo habebit conditiones, et omnes ſimplices ſpecies complectetur, videlicet

SCABIES gallica, cum doloribus gallicis, tumoribus gallicis, defluuio pilorum, caſu dentium, vnguium caſu, oculorum amiſſione, et gonorrhoea.

Hactenus praeclare reique appoſite ANTONIVS MVSA BRASAVOLVS, etſi poſthaec quaedam ſymptomatum mutatio ſenſim pedetentimque facta eſt. Fuit enim, poeta iudice,

Triſtius haud illis monſtrum, nec ſaeuior vlla
Peſtis, et ira deûm ſtygiis ſeſe extulit vndis.

Qua de cauſſa nec mirum eſt, ſi medici in huius mali natura et deſcribenda, et definienda, incredibile, quantum a ſe ipſi receſſerint, et quid aduerſus calamitatem tantam tamque peſtiferam audendum eſſet, prorſum ignorarint.

Ex his igitur, quae adhuc pluribus commemoranda duximus, facile colligitur, *morbum gallicum*, ſi per ſe ſpectetur, *nouum eſſe veteribusque incognitum*; quicquid contra oggauniant aduerſarii, omniumque maxime IO. LANGIVS q), hoc potiſſimum

q) Epiſt. Medicinal. L. II. Ep. 14. p. 559. Cf. L. I. Ep. 42. p. 187. vbi ex eo, quod ſingula ſymptomata, qualia in lue gallica occurrant, etiam attulerit *Hippocrates*, ſibi plaudit incredibiliter. Neque tamen exemplis ſatis certis ac firmis vſus eſt, quippe quaeuis morborum genera, quibus ſingulae nationes obnoxiae ſunt, ſi quando aliena

tiſſimum argumento fretus, quod *exoleti veterum morbi quotannis denuo incrudeſcant, et renouentur*, et, vt *Comicus ait, nil dictum modo, quod non ſit dictum prius. Ita nil in morbis modo accidit, quod non acciderit olim.* Turpe profecto; o cara lepidaque capitula, foret medicis veteribus, ſi in notanda morbi huius noti et facile debellandi natura tantopere a ſe inuicem diſſenſiſſent. Nam id genus lites aut ab cauſſae ignoratione proueniunt, aut malae fidei decipiendique ſtudio acceptae ferendae ſunt. Quod vt graues magnosque viros dedecet, ita illud noſtris hominibus recte dabitur vitio, ſi cum GALENO ſuo errare, quam in rectam viam deduci maluerint. Nusquam enim in veterum ſcriptorum libris commemorantur morbi gallici nomen, origo, cauſſae, medendique rationes, neque, eo viſo, medici tam attoniti fuiſſent, vt aegrorum ſalutem omnino deſperandam exiſtimarent. Hinc VLRICVS HVTTENVS [r]): *Quid refert*, inquit, *ſaepe declamatum a me prius dicere, quantam ego pecuniam curando hoc morbo elocauerim? Quas torturas, quae ſupplicia, ſub chirurgicis exhauſerim? Quas cruces tulerim? Quantum mihi virium ex medicorum inſcitia deperierit?* Sed haec de morbo Neapolitano ſufficiant.

aliena loca petant, noua ſine dubio et incognita nominanda ſunt; idque etiam de morbo Neapolitano valere puto.

r) De Morb. Gall. Praefat. p. 240. Coll. *Luiſin.*

V.

CONVVLSIO CEREALIS, RAPHANIA, KRIEBELKRANKHEIT, NECROSIS VSTILAGINEA.

Non ita multo poſt quam apparuerat lues gallica, caput extulit morbus quidam dirus, nec a veteribus medicis vſpiam commemoratus. Qui cum ſaepenumero populariter hinc inde graſſaretur, atque propter ſymptomatum truculentiam ex conuulſionum genere eſſe videretur, factum eſt, vt noſtri homines eum a ſenſus dolorisque vehementia *Krampfſucht*, *Kriebelkrankheit*, appellarent; DAN. SENNERTVS a) vero, *febrem malignam cum ſpaſmo*, SAVVAGESIVS b) *necroſin vſtilagineam*, LINNEVS c) *raphaniam*, a *raphani raphaniſtri* copia inter frumenta diſſeminati, BALDINGERVS cc) V. Cl. *conuulſionem cerealem*, alii denique aliter, vt rebus in nouis fieri ſolet.

Primi, quoad eius equidem memini, hoc valitudinis aduerſae genus adduxerunt *Medici Marburgenſes* d) atque GE. HORSTIVS dd) *morbi* con-

a) L. De Febrib. IV. 16. p. 562.

b) Noſolog. Method. T. III. P. II. p. 547.

c) Amoenitat. Academic. Vol. VI. p. 430. in Diſſ. *De Raphan.* Vpſal. 1763.

cc) Progr. Secale Cornutum perperam a nonnullis ab infamia liberari, Ien. 1771.

d) Von einer ungewöhnl. anſteck. Krankh. Marb. 1597.

dd) *Opp.* Medic. L. III. P. II. Append. Obſerv. Medic. ſingul. p. 299.

conuulſiui maligni et epidemici nomine, qui anno CIↃIↃLXXXXVI. in Haſſia, Weſtphalia, vicinisque locis immaniter ſaeuiit, deindeque tempore vario variis locis infenſus fuit, qualem in Holſatia, Saxonia, Luſatia ſuperiori, Pomerania, Polonia, Sileſia, cet. vſu veniſſe meminerunt GOTTL. BVDAEVS e), WEDELIVS f), FRID. HOFMANNVS g), WALDSCHMIDIVS h), VATERVS i) SCHOBERVS k), BVRCKHARDVS l), BERGENIVS m), aliique multi, quos in vniuerſum omnes commemorare nec licet, nec lubet, praeſertim cum hac noſtra aetate malum hoc Saxoniae prae ceteris exitioſum fuerit, magnumque tulerit ſcriptorum prouentum, id quod fugere poſſe puto neminem.

Quod aegrotationis genus cum forma varia varioque vultu procederet, accidit, vt huc illuc in cauſſis inueniendis et perſcrutandis traherentur medici, aliique *aërem humidum* atque *pluuias frequentes*, alii *peruerſam victus rationem* n), alii iterum *ſecale*

e) In Conſil. Medic. von der Kriebelkrankh. Budiſſ. 1717.
f) Diſſ. De Morb. Spaſmod. Epidemic. maligno, Ien. 1717.
g) Medicin. Rational. Syſtemat. T. I. c. IX. §. 15. ſeq. p. 304. ed. *Hal.*
h) Diſſ. De Morb. Epid. Conuulſiu. per Holſat. graſſante, Kil. 1717.
i) Diſſ. De Morb. Spaſmod. Popul. Sileſ. Vitemb. 1723.
k) Acta Vratislav. Menſ. Ian. 1723. p. 73. Cf. Menſ. Iul. 1717. p. 87. ſeq. et Menſ. Decembr. p. 397.
l) Satyr Medic. Sileſ. Spec. III. Obſ. IV.
m) Diſſ. De Morb. Epidem Spaſmod. Conuulſ. contagii experte, Frft. ad Viadr. 1743.
n) Pertinet huc *Galenus* in *Hipp.* L. Nat. Hom. II. Comment. II. Text. 3. p. 132. T. III. ed. *Chart.* Coum ſenem,

secale cornutum o), prae ceteris accusarent; alii vero luis

senem, qui communem morborum caussam in aerem transtulisse videbatur, vehementer culpaturus. Cuius verba ex versione vulgari haec sunt. *Qui in Aeno, vrgente fame, vescebantur leguminibus,* (ὀσπριοφάγοντες) *cruribus vacillabant. Qui vero erua edebant, hos genuum dolor infestabat. Nec vero nos id latet, cum quidam, cogente fame, triticum semiputre manducasset, in communem ob communem caussam incidisse morbum. Aliquando etiam cum totus exercitus vitiata vteretur aqua, similiter eodem morbo omnes adflictos fuisse milites.* Porro L. De Febrib. I. 4. p. 110. T. VII. ex *frumento corrupto* aut *febres pestilentes ac putridae* ortae dicuntur, aut etiam homines ἐξανθήμασι ψωρώδεσι καὶ λεπρώδεσι correpti. Immo vero Comment. in VI. Epid. V. Text. 35. p. 539. T. IX. post *coturnicum veratro pastorum esum* frequentibus *musculorum distentionibus* perquam multos in Doride, Boeotia, Thessalia et Athenis obnoxios fuisse perhibet. Cf. *Iulii Caesaris* Comment. De Bello Ciuil. II. 22. vbi Massilienses, cum in annonae caritate *panico veteri atque hordeo corrupto* vesci cogerentur, ne fame perirent, in dirissimam pestilentiam incidisse dicuntur.

o) Sic post multos veterum senserunt *Tissotus*, Nachricht von der Kriebelkrankheit, p. 36. seq. vbi simul multa auctorum loca ad veritatem sententiae huius defendendam adferuntur. Similiterque etiam *Taube*, V. Cl. (Nachr. von der Kriebelkrankh. im Herzogth. Lüneburg). Adsessores Collegii Medici Hafniens. (Bericht vnd Bedenken die Kriebelkrankh. betreffend cet. Abschn. II. p. 131.) Exc. *Wichmannus* (Beytrag zur Geschichte der Kriebelkrankh. im Iahre 1770.) innumerique alii, quos omnes omnino per temporis angustias propositumque nostrum iam in medium adferre nefas est. Negarunt vero prae ceteris hanc *secalis cornuti* turpitudinem *Schlaegerus* (Versuche mit dem Mutterkorn, *Cass.* 1770. 4.), *Leidenfrostius* (In den Duisburg. Anzeig. St. 47. seq. 1770. et St. 1. 1771.), *Modelius* (Vntersuch. des Mutterkorn. von *Zeiher*, Wittenb. 1771. 8.), *Eschenbachius* (Bedenk. von der Schädlichk. des Mutterkornes, Rost. 1771. 8.), *Vogelius*, V. Cl. (Schutzschrift für das Mutter-

luis huius dirae contagem ab *vermibus minutis* et vix adſpectabilibus repeterent, vt TILLETVS atque READIVS p); alii ab *raphaniſtri* SEMINE q); alii denique aliter, vt in re tam occulta et venenata fieri haud raro ſolet, pronunciandum ſibi eſſe exiſtimarunt.

In tanta igitur clariſſimorum virorum diſſenſione, ad quorum partes transfugarum more me conferam, plane non video, et ſi quid viderem, tamen inter viuos nusquam tuta aut accepta eſt iudicis illaudabilis ſententia, niſi velim cum *Briſeide* apud OVIDIVM r) exclamare:

At mea pro nullo pondere verba cadunt.

 Praeſtat

Mutterkorn p. 3. ſeq.), *Titius*, *Boehmerus* (Diſſ. De Conſtitut. Epidem. Halae ad Salam inque eius confin. 1771-72. obſeruata, Sect. I. §. 2. ſimiliterque Sect. II. Praef. cet.)

p) Journal. Encyclop. Année 1772. T. VII. P. I. p. 66. vbi *Tilletus* tanti inuenti auctor dicitur, ſimulque *Readius* huc refert diram illam *Athenienſium peſtilentiam*, nec non *ignem ſacrum*, *ignem S. Antonii*, *ignem infernalem* cet. quae valitudinis genera olim populariter graſſata ſunt. Sed, vt nobis videtur, eodem iure, quo ſibi nuper *Hahnius* noſter in iſtis malis variolarum veſtigia inueniſſe perſuaſerat. Cf. ſi placet, *Raymondum* (Hiſt. de l'Elephantiaſis p. 111. ſeq.) cui ſane *ignis S. Antonii* ſ. *infernalis* ſ. *malum ardentium*, videtur *cum necroſi* ſ. *gangraena*, quae ex ſecalis cornuti victu ſequitur, prorſum conuenire.

q) Ita *Linneus* Diſſ. cit. Sed, pace magni viri, nobis aliter videtur. Eſt enim haec cauſſa, ſi qua eſt, ſubitanea facileque interitura, adeoque nec tot tantorumque malorum auctor atque effectrix. Sed videant hac de re alii, quibus ſolis datum eſt

Rerum cognoſcere cauſſas.

r) Heroid. Epiſt. III. v. 98.

Praeſtat ſaltem omnia diri huius morbi *ſigna* adducere. Sed referenti mihi mens ſtupet horrentque capilli, adeoque hac in re, cum qui iſta poſt DAN. SENNERTVM accuratius expreſſerit, ſciam praeter Illuſtr. VOGELIVM [s]) prorſus neminem, verbis eius abuti liceat. *Extrema*, inquit, *initio ſtupor, dorſum dolor occupat, cum ſenſu punctionis atque formicationis per totum corpus. Aliquamdiu poſt membra modo obrigeſcunt, modo conuelluntur, modo contrahuntur, oculis ſimul rigidis, aut diſtortis, oreque ſaepe diſtracto, pharynge conſtricto, reuulſaque lingua. Muſculi omnes vehementer dolent, ſic, vt aegri quidam prae dolore vociferentur, quin adeo delirent, ac furibundi huc illuc, niſi vinculis coerceantur, diſcurrant, grauesque ſibi iniurias inferant. Alii viſum perdunt, alii rationem, ſic, vt vel ſtulti, vel melancholici, vel maniaci euadant. Interdum quoque febris atque bulimos ſe immiſcent, multique praeterea aegri nauſea et vomitione torquentur; Multis aluus per totum morbum fluit. Artus poſt repetitos motus conuulſiuos ſubinde intumeſcunt, ſaepeque etiam veſiculae aqueae ac tubercula, aut exanthemata miliaria in iisdem exſurgunt. Quibusdam ſanguis ex naribus fluit, aut ex pulmonibus reiicitur. Aliis vngues de digitis excidunt extremorum. Paroxyſmi ſemel, bis, ter et amplius de die redeunt, ac intra vnam aut duas horas iterum decedunt, ſudore et ſopore ſaepiſſime ſuccedente, ac ſtupore ſuperſtite. Atque haec tota affectio modo cito intra primam hebdomadem, modo tarde intra vnum vel duo, quin plures menſes finitur,*

s) Praelect. Academ. De Cognoſcend. et Curand. Praecip. Corp. Hum. Affect. Claſſ. V. §. 492. p. 397.

tur, ſic, vt multi quidem pereant, alii vero, ſeruata vita, in alios neruorum morbos, epilepſiam, mentis affectiones, paralyſes, tetanum, aut in phthiſin coniiciantur, aut denique ſalubriter per ſudores atque ſcabiem iudicentur. Multis, finito morbo, vertigo, amblyopia, caecitas, auriumue tinnitus aliquamdiu remanet. Aliquando etiam prior morbus recurrit, huius praeſagium voracitas exhibet. Hactenus magnus ille VOGELIVS.

Quibus ſe ita habentibus, facile ad perſpiciendum eſt, hoc mali genus non, niſi a communi plurimisque familiari cauſſa repeti oportere. Quae vero iſta ſit, iam non amplius anquirere animus eſt. Id vnum ſcio, hunc morbum fuiſſe veteribus incognitum, adeoque non poſſum non eorum ſubridere pertinaciam, qui quiduis potius, quam quod antiquis iſtis hominibus quaedam auctoritatis inſignia detrahantur, aequo laturi ſint animo. Inauditum ſcilicet ſcelus eſt amici, nefariumque facinus, ſi cui in mentem venerit tam impudenter eorum famam proſcindere, meritisque recentiorum, quicquid priſcorum eſſe debebat, audacter adiungere. Concurrunt ad arma, tantamque iniuriam a laribus ſuis, vi quaſi omni adhibita, depellere allaborant. Sed ita eſt rerum humanarum conditio, vt aliter φιλόκαινος, aliter παλαιόφιλος ſentiat, neque ſemper optimus quisque meminerit illius Platonici apud GALENVM, *veteres multa ignoraſſe, adeoque ea aut prorſum non nominaſſe, aut minus recte.*

Ego vero, qui homo ſum medicus ſcilicet, puſilli animi paucarumque virium, neque vſpiam lynceus,

lynceus, ſoleo ſemper ex verbis et re ipſa cuncta diiudicare, non ex virorum magnorum auctoritate, adeoque dabitis, o amici, id (ſpero) meae ſimplicitati, vt mihi ſaltem caecutiam, atque in hoc ineundo *morborum incognitorum* numero dubius quaſi et anceps haeream, ne quid detrimenti res publica medica exinde capiat aut gloriae veſtrae temere detrahatur. Haberemus certe multo plures valitudinis aduerſae formas, quarum natura et indoles ſine dubio veteres quosque medicos latuit, quales ſunt *ſpina ventoſa*, *abſceſſus pericardii ac mediaſtini* cet. id quod bene docuit IO. FREINDIVS t), Britannorum medicorum nuper longe doctiſſimus. Sed ne cui iuſto durior videar in adfirmando, aut pertinacior ſaltem in extollendis iſtis minutiis, haec paucis dixiſſe nobis ſufficiat.

t) Hiſt. de Medecine, p. 149. ſequ. et p. 159. ſeq. verſ. gall.



SECTIO



SECTIO II.

DE IIS MORBORVM GENERIBVS, VBI NOMINIS DISSENSIO, REI VERO CONSPIRATIO EST.

Perſpectis quibusdam morborum generibus, quae aut penitus latuerunt veteres, aut ſaltem non ad viuum ſatis reique appoſite expreſſa ſunt, ſequitur vt ea, *quae nomine quidem differant, re* vero *ipſa conuenire videantur*, paucis perluſtremus. Superuacuum enim foret taediique pleniſſimum, ſi in praefando et argumenti noſtri veritas demonſtranda eſſet, et lectorum animus vocularum mellitarum lenociniis alliciendus, ne hac in re verba ſibi dari exiſtiment. Si qui vero ſint, quibus nos multum a vero aberraſſe videamur, hos rogatos etiam atque etiam velim, vt, cum in litterarum bonarum atque medicinae commoda nati ſint, quaeuis aut male atque obiter dicta, aut minus vere eleganterue expreſſa, et emendare, et luce ſua colluſtrare haud dedignentur, modo ab omni partium ſtudio et inuidioſa orationis virulentia ſibi caueant.

I. FEBRES

I.

FEBRES CVM ERVPTIONIBVS, FEBRIS PETECHIALIS, FEBRIS MILIARIS S. PVRPVRA, FEBRIS HVNGARICA S. PANNONICA, CASTRENSIS, MILITARIS cet.

Primam igitur morborum ſpeciem, in qua praeter nomen reliqua conueniunt, ſine dubio efficiunt *febres* illae, quae vulgo *exanthematicae* appellantur, variisque comprehenduntur nominibus. Sunt vero illa *febris puncticularis*, *peticularis*, *lenticularis*, *puncticulae*, *peticulae*, *petechiae* a); *febris maligna cum peticulis*, quam olim, cum ingraueſceret, teſte ROD. a FONSECA b), ſimiliter, vt morbum gallicum, curare empirici auſi ſunt: *Febris miliaris* ſ. *purpurata*, *Febris Hungarica* ſ. *Pannonica*, *Febris militaris*, *caſtrenſis*; *Febris vrticata*, *Scarlatina* cet. Multa profecto nomina, at vero re ipſa a ſe non, niſi eruptionum figura, et maiori minoriue

a) Hoc nomen a *pungendo* deductum videtur, quippe *Seneca:* (Ep. 53. p. 152. T. II. ed. *Lipſ.*) *Pedes dolent*, inquit, *articuli punctiunculas ſentiunt.* Similiterque L. De Vita Beat. c. 15. p. 353. T. I. *voluptatum dolorumque punctiunculas* adfert. Apud *Sauuageſium* contra (Noſol. Method. Claſſ. III. Ord. I. 5. p. 393. P. II.) *febris miliaris* noſtra dicitur *Peticularis culicaris* ex *Petri a Caſtro* ſententia. At vero *petechiae* comprehenduntur p. 414. communi *purpurae* nomine.

b) Conſil. Med. 31. T. II. p. 180. Cf. ſi placet, *Ge. Hier. Welſchius* Curat. Propr. Dec. VI. Cur. I. p. 287. ſequ. Ibi enim et varia morbi nomina, et cauſſae ſedulo anquiruntur, eiusque natales inde ab priſcis temporibus repetuntur.

riue ſignorum caterua aut malignitate abhorrentia, ſiquidem huc vel maxime accommodes, quae olim de capillorum defluuio maculisque capitis Q. SERENVS SAMMONICVS c) dixerat:

Nonnunquam variant maculae paruisque parumper
Orbibus adſperſum ducit noua vulnera tempus.

Hinc, ſi quid video, factum eſt, vt veteres haec omnia generatim ἐξανθήματα appellarent, et aut τὰ ὑπὸ δέρμα ἀφιςάμενα ἐς τὸ ἔξω φύματα, τὰ γενόμενα ἕλκεα καὶ κρίνοντα πυρετὰς φύματα, ἵδρωα cet. inter ſigna referrent iudicatoria, aut voc. πυρετὸς συνεχὴς et τέρμινθοι, ſine vllo abſceſſus metu coniungerent, aut denique ipſi λειχῆνας, λέπρας, et λεῦκας in harum eruptionum numero collocarent ſic, vt id τῶν ἐξανθημάτων genus interdum ſit quaedam ἀπόςασις, interdum vero non. Sed haec obiter, vt, quam late vocabuli huius notio apud veteres pateat, optimi quique perſpiciant.

Expreſſis vero verbis, vt mihi quidem videtur, ab HIPPOCRATE *febris petechialis*, non vero *febris miliaris*, vt Ill. VOGELIO d) placet, in ſecundo Epidemicorum e) libro deſcribitur. Qui cum multus fuiſſet in morbis populariter graſſantibus, maximeque iis febribus, quae plerumque ſudore

c) L. De Medicin. n. 9. p. 416. Coll. *Steph.*
d) Praelect. cit. p. 99. ſeq.
e) Epidem. II. Sect. III. p. 697. T. I. ed. *Lind.* Cf. *Foeſium* ad h. l. p. 1021. et in Oecon. *Hipp.* p. 369. omniumque maxime *Galenum* ad h. l. Text. V. p. 156. T. IX. ed. *Chart.*

ſudore iudicantur, haec quoque addere non dubitauit. Ἐγένοντο καὶ ἐν τοῖσι θερινοῖσι πυρετοῖσι περὶ ἑβδόμην, καὶ ὀγδόην, καὶ ἐννάτην, τρηχίσματα ἐν τῷ χρωτὶ κεγχρώδεα, τοῖσιν ὑπὸ κωνώπων γινομένοισι μάλιστα ἴκελα ἀναδήγμασιν, οὐ πάνυ κνησμώδεα. ταῦτα διετέλει μέχρι κρίσιος. *Fiebant autem in febribus aeſtiuis circa ſeptimam, octauam et nouam diem aſpretudines in cute miliaceae, culicum morſibus maxime ſimiles, non valde pruriginoſae. Hae perſeuerabant vſque ad iudicationem.*

In quo certe, vt nobis videtur, plura ſunt petechiarum, quam purpurae veſtigia, quippe ex recentiorum medicorum auctoritate, experientiaque teſte, huic potius inſunt formatae in veſicularum morem puſtulae, in illis contra verae maculae, culicum morſum referentes, id quod ſane verbis Hippocrateis τοῖσιν ὑπὸ κωνώπων γινομένοισι μάλιστα ἴκελα ἀναδήγμασιν ſatis ſuperque reſpondet. Huc etiam, ni fallor, pertinet SILENI f) hiſtoria, vbi omnia febris malignae indicia adſunt, et octaua naſcuntur die ἐξανθήματα, μετὰ ἱδρῶτος ἐρυθρὰ, στρογγύλα, σμικρὰ, οἷον ἴονθοι· παρέμενε, οὐκ ἀφίστατο. *Exanthemata cum ſudore rubra, rotunda, parua, velut vari; permanebant, non abſcedebant.* Id quod an praeter petechias alium morbum referat, iudicare non auſim. Similiter illa, quae EVPHRANORIS g) filio acciderunt, ἐξανθήματα οἷα τὰ τῶν κωνώπων δήγματα (*exanthemata velut culicum morſus*): nec

f) Epid. I. Sect. III. Aegr. II. p. 674.
g) Epid. V. §. 33. p. 793.

nec non in PHERECYDE h) praeter τὸ δέρμα τὸ ὑπὸ τὰς τρίχας ἐςιγμένον (*cutis sub pilis interpuncta*) octaua etiam die apparuerunt ὡς ὑπὸ κωνώπων ἀναδήγματα (*velut culicum morsus*).

Sin vero ista verba, quae superius adduxeram, sic a se inuicem distinguas, quemadmodum LINDENIVS voluisse videtur, adiecta vocula ἢ, vncinisque septa, facile ad perspiciendum est, vtramque sententiam locum habere posse, quia tunc τὰ τρηχίσματα ἐν τῷ χρῶτι κεγχρώδεα ad *febrem miliarem* referri possint; reliqua vero ad *febrem puncticularem*.

Quod discrimen quo minus necessarium est ad morbi naturam et formam intelligendam, eo suauius sine dubio ferientur legentium animi, si qua eius vestigia apud veteres multis ante seculis, quam CRATO, RIVERIVS, DIEMERBROECKIVS, WELSCHIVS, NEVCRANTZIVS i) aliique haec valitudinis aduersae genera pro nouis venditarent, reperiri aut meminerint, aut etiam doctorum virorum, in primisque magni TRILLERI ii), testimoniis approbari intellexerint.. Hic enim praeclare hos *papularum miliarium* natales inde ab HIPPOCRATE repetiit atque tam docte demonstrauit, vt, qui amplius dubitare aut possit, aut velit, sciam prorsus neminem. HERODOTVS

DOTVS

h) Epid. VII. §. 41. p. 863. Cf. *Galen.* Method. Med. V. 12. p. 122. T. X. ed. *Chart.*

i) De Purpura, c. 1. p. 6. seq.

ii) In Exercit. De Febre miliari, priscis graec. medicis haud incognita, p. 327. sequ. T. II. Opuscul.

DOTVS vero iamiam apud AETIVM[k]) peregregie in hoc eruptionum genere verſatus eſt, adeoque ipſius verba ex verſione huc adducere nobis liceat, adiectis tamen notatu dignis voculis graecis: In *febrientibus*, inquit, *aſſidue fiunt puſtulae* (συνεχέςατα ἐξανθήματα) *circa labia et naſum, iuxta febrium ſolutionem.* (περὶ τὰς λύσεις τῶν πυρετῶν ὡς ἐπίπαν). *Verum in principiis febrium non ſimpliciorum, ſed a prauis humoribus ortarum,* (κακοχυμοτέρων) *circa totum corpus exoriuntur vibices ſimiles culicum morſibus.* (μώλωπες ἐμφερεῖς τοῖς

k) Tetrabl. II. Serm. I. c. 129. p. 234. Coll. *Steph.* et ed. graec. *Aldin.* L. V. p. 96. b. Huc ſpectant *Foreſti* (L. VI. Obſ. 59.) ἐρυθρήματα, quae reſpondent ſatis noſtris petechiis. Sed multi, iique clariſſimi virorum doctorum, iure, neſcio, quo ſibi in animum induxerunt, hoc in loco *Herodoteo* commemorari variolas. Quorum in numero ſunt *Augenius* (L. De Febrib. IX. 11.), *Primeroſius* (L. De Febr. p. 436.), *Zacutus Luſitanus* (Med. Princ. Hiſt. p. 165.), *Schenckius* (Method. Variol. et Morbill. Dignoſc. c. 5.), *Thom. Bartholinus* (Ciſta Medic. Locul. 58. p. 593. ſeq.), inprimis vero *Hahnius* l. c. et pluribus hoc in loco collectioni *Steph.* quae nuper ad nos auctionis lege peruenit, allinendum putauit defendendae huius opinionis gratia. Negarunt vero *Sebizius* (Diſſ. De Variol. et Morbill. III. §. 17.), *Herm. Conringius* (Diſſ. De Variol. et Morbill. §. 37.), *Freindius* (Hiſt. Med. p. 74.), *Werlhofius* l. cit. p. 30. ſeq. Cf. *Hier. Mercurial.* De Pueror. Morb. 1. 2. p. 14. vbi illud morbi genus, cum quaſi a culicum morſu naſci diceretur, in *prauarum febrium numero* collocandum eſſe cenſuit. Denique alii viri docti, quorum in numero nomen nuper profeſſus eſt *Car. Strackius* (Obſeruat. Medicinal. De morbo cum petechiis p. 305. ſeq.), illas cutis aſpritudines, quae ap. *Hipp.* commemorantur, culicumque morſibus ſimiles ſunt, noſtris petechiis conuenire diſerte negant.

τοῖς ἀπὸ κωνώπων δήγμασιν): in malignis autem et pestilentibus febribus (*κακοήθεσι καὶ λοιμώθεσι πυρετοῖς*) *exulcerantur, et quaedam ad carbunculorum speciem accedunt. Omnes autem multitudinis corrupti et habitum erodentis humoris signa sunt. Quae vero in facie oriuntur, omnium malignissimae sunt, deteriores autem sunt plures, quam pauciores, et maiores, quam minores, et quae cito delentur, quam quae multo tempore durant. Deteriores item feruentes,* (*πυρῦντα*) *quam quae pruritus inducunt. Et quae quidem succedunt aluo suppressa, aut moderatas egestiones faciente, bonae sunt: Quae vero fluente aluo et vomitibus vexantibus fiunt, malae: Si vero succedentes aluum resiccent, bonae. Sequuntur ad pustulas* (*ἐξανθήμασι*) *febrium malignitas,* (*κακοήθειαι τῶν πυρετῶν*) *et plerumque etiam animi deliquia.* —

Haec, nisi me omnia fallunt, accommodate ad petechias, quoniam ibidem *vibices similes culicum morsibus, febres malignae, et pestilentes, papulae per totum corpus dispersae* cet. commemorantur.

At vero eodem loco etiam, vt nobis videtur, facta est *febris miliaris* s. *purpurae* mentio, de quo audiamus iterum ipsum HERODOTVM. *Fiunt porro*, inquit, *aliquando pustulae magnae, colore albae,* (*ἐξανθήματα μεγάλα κατὰ χρόαν λευκὰ*) *modicum pruritum inducentes, redundantes in femoribus, natibus, lateribus, et summa ventris plerumque parte. Originem autem ex multa lenta et alba materia habent. Hae vero cum toto corpore curantur. Neque enim gravem morbum minantur, si saltem modico victu quis vtatur. Quod si febres in his vrentes fiant, commodum*

fuerit frigidam dare in exacerbationum vigoribus, morbo in vigore existente, nisi viscera habeant, quae facile laeduntur.

Fiunt etiam aliquando pustulae rotundae, inaequales, subalbidae aut subrubrae, (ἐξανθήματα ϛρογγύλα, ἀνώμαλα, ὑπόλευκα ἢ ὑπέῤῥυθρα), cum eleuatione carnis, (μετ' ἐπαναϛάσεως τῆς σαρκὸς) aut varis similes, qui in facie oriri solent, (ἰόνθοις τοῖς ἐν πρωσώπῳ παραπλήσια καὶ σκληρὰ), et durae sunt, ac multum pruritum inducunt, vt vigiliarum caussa fiant, dum indesinens adest scalpendi desiderium. Consequuntur autem hae plerumque ad febres intermittentes et minime grauem indicant morbum. — Porro quae valde rubrae (τὰ πάνυ ἐξέῤῥυθρα) sunt, pessimae existunt. His autem deteriores sunt liuidae, nigrae et tumidae, similes existentes carnibus compunctis: (τὰ πελιδνὰ, καὶ μελανὰ, καὶ ἐξογκȣ́μενα, ὅμοια ὄντα ταῖς ἐϛιγμέναις σαρξί): Redundant autem in facie, et pectore, et ventre, lateribusque ac dorso. Tales a principio aggredi non oportet, sed differre. Si enim non successerit, in eum, qui curationem aggressus aut pollicitus est, culpa recidit. Si vero permanserint hae vsque ad vigorem, et non progrediantur in peius, non omnino negligere oportet, etiamsi raro, attamen aliquando, opem ferre, et opportuno tempore medicamenta adhibere, atque magna animaduersione curare. Quae enim post mortificationem superficiei ex alto emergunt, (τὰ ἐπὶ νεκρώσει τῆς ἐπιφανείας ἐκ βάθȣς γινόμενα) quid aliud significarint, quam vitam aliquo modo ab internis efferri! — Hactenus HERODOTVS.

Con-

Continetur profecto hisce verbis vera *febris miliaris* ſ. *purpurae* imago, neque facile quemquam negaturum puto, modo ſignorum horum explicationem attentius perlegerit, *purpuram albam* et *rubram* vel maxime ſic deſcribi et poſſe, et oportere. Aliqua vero verborum Herodoteorum pars aut ſimiliter de quodam *purpurae* genere intelligenda eſt, quam *ſcorbuticam* et *diuturnam* vulgo appellant, quia haec eruptio leuis exiſtimatur et ſine febre eſſe, aut potius, niſi vanus augur ſum, hac deſcriptione *febris* noſtra *ſcarlatina* vel *vrticata* latere videtur, ſi quidem haec aliqua ex parte cum iis certe conueniunt, neque ab hac ſententia prorſum alienus fuit magnus WERLHOFIVS [kk]).

Qua de cauſſa ſatis mirari non poſſum, quid ſit, quod medici longe clariſſimi, qui patrum memoria vixerunt, haec morborum genera noua cenſuerint, cum, a nomine ſi receſſeris, cetera tantum non omnia apud veteres reperirentur. Id quod ab iis, qui in HIPPOCRATIS, GALENI reliquorumque medicorum graecorum latinorumque lectione adſidui et paene toti erant, vnquam fieri potuiſſe vix crediderim. Fecit tamen prae ceteris HIERONYMVS FRACASTORIVS [l]), qui *lenticulas* inter *vere peſtilentes et non peſtilentes medias*, *contagioſas*, et hinc *malignas magis*, *quam peſtilentes* eſſe *voluit*. *Hae febres*, inquit ille, *annis* CIↃIↃV. *et* CIↃIↃXXVIII. *in Italia primum apparuere aetate noſtra non prius notae, certis vero regionibus familiares*,

kk) Lib. cit. c. II. §. 5. p. 34. ſeq.
l) De Contagioſ. Morb. II. 6. p. 119. b. ed. *Venet.*

res, vt Cypro, et vicinis insulis, maioribus etiam nostris cognitae. Vulgus lenticulas aut puncticula appellat, quod maculas proferant lenticulis aut puncturis pulicum similes. Quidam mutatis litteris peticulas dicunt. —

Quare cum tam multum intersit perspicere, rectene hoc de morbo, quem apud HIPPOCRATEM maximeque HERODOTVM, legere me memineram, reique apposite statuerim, nec ne, liceat nobis iterum FRACASTORII verbis ad consensionem signorum morbique ipsius intelligendam vti. *Contagiosa est et haec febris*, inquit, *sed non celeriter, nec fomite, et ad distans, sed tantum per tractationem infirmi. Per initia autem cum febres omnes pestilentes placidae sint, et mites, tum haec adeo placide inuadit, vt vix admittere medicum aegri velint: vnde et medicorum multi plurimum decepti sunt, expectantes resolutionem morbi paullo post, nec quicquam contra parantes; mox vero signa malignae febris aperiebantur. Nam quamquam calor mitis pro natura eiusmodi febrium sentiebatur, interne tamen perturbatio quaedam percipiebatur, tum et fractio in toto corpore lassitudoque more fatigati. Decubitus erat supinus, caput grauescebat, sensus hebetes erant, et mens magna ex parte post quartum aut septimum non constabat, oculi rubescebant, verba multa dicebantur; vrinae primum exalbidae, vt plurimum excernebantur, plenae tamen, mox rubentes, et confusae, aut similes vino granatorum: pulsus rarus et humilis — excrementa corrupta, foetentia: circa quartum et septimum in brachiis, dorso et pectore maculae rubentes, saepe et puniceae, erumpebant puncturis pulicum similes, saepe maiores, imitatae lenti-*

lenticulas, unde et nomen inditum eſt: Sitis autem aut nulla, aut parua aderat, quibusdam et vigiliae, interdum in eodem vtrumque per vices: Status aliis ad ſeptimum, aliis ad quartum decimum, aliis et vltra. Vrina quibusdam detinebatur, quod peſſimum ſignum erat: — Perituros ſua ſigna praecedebant, ſicuti et euaſuros: Mala erant, ſi ſtatim aeger virtute defici ſe ſenſiſſet; ſi adſumto leui pharmaco ingens alui deiectio ſecuta fuiſſet; ſi, facta criſi, non acceſſiſſet alleuatio; Nam vidimus, quibus librae tres ſanguinis erupiſſent e naribus, paullo poſt tamen obiiſſe: Malum item, ſi vrinae detinebantur; ſi lenticulae delituiſſent, ſi aegre erupiſſent, ſi liuidae fuiſſent et valde puniceae. Quod ſi aut omnia, aut plura ex his acceſſiſſent, certiſſima ſequebatur mors; euaſio vero, ſi contraria aut omnia, aut plura apparuiſſent.

Egregie mehercle haec, FRACASTORII omnia dicta ſunt, et appoſite febri illi, cuius iamiam HIPPOCRATES, HERODOTVS et ACTVARIVS meminerant, id quod olim PETRVS A CASTRO ll) ſimiliter demonſtrauit, ea tamen lege atque conditione, vt facta hic curatior ſit ſignorum recenſio, adeoque illa prae ceteris digna videantur, quae commentarii loco in veterum medicorum monimenta haberi poſſint.

Perſpexerunt autem id iam ſua aetate DAN. SENNERTVS m) et cum maxime IO. LANGIVS n), ſimiliterque de noua hac Italorum febre iudicandum exiſtimarunt, etſi id, vt nobis videtur, nimis

 mis

ll) De Febre Peticul. Sect. I. §. 6. p. 6. ed. *Norimb.* 1652.
m) L. De Febrib. IV. 13. p. 555.
n) Epiſt. Medicinal. L. II. Ep. 15. p. 561. ed. *Hannov.*

mis generatim ac ſine vlla adiecta circumſcriptione. *Fateor*, inquit LANGIVS, *ob mutatam victus rationem et ſiderum influxu alteratam loci, aeris aquarumque naturam, et corporis hominum temperaturam, alios exoleſcere et deſinere morbos, et exoletos veterum morbos denuo quoque incrudeſcere et innouari. Oriri vero nouos morbos, quorum veſtigia ſaltem ante non apparuiſſent, pernego; quod febris lenticula approbat, quae ante, quam* FRACASTORIVS *naſceretur, per Graeciam paſſim ſaeuiit.* Id quod ſibi verbis HERODOTI apud AETIVM demonſtrandum ſumſit, quae ne bis terue eadem dixiſſe videamur, ſtudio deditaque opera iamiam omittenda exiſtimamus.

Febris vero *Hungarica* ſ. *Pannonica*, *caſtrenſis*, *militaris* cet. in qua primum anno cIɔIɔLXVI. milites in Hungaria correpti ſunt, eadem fere, quae *lenticularis*, eſt, quippe et natura ſua ſignorumque vehementia nullo modo a ſe inuicem videntur abhorrere, et illae maculae, quas pulicum morſui ſimiles dixerat HIPPOCRATES, ſatis ſuperque conuenientiam docent. Hinc factum eſt, vt DAN. SENNERTVS o) aliique luem hanc Hungaricam verbis Hippocrateis contineri arbitrarentur. MARTINVS RVLANDVS p) vero, cum in hoc valitudinis genere verſaretur, illud ab diuino ſene inter πεμφιγώδεις πυρετȣ̀ς referri auctor eſt, maximeque πεμφιγώδει τῇ θερμασίᾳ putat *affligere*, *non tam, quod exſilientium et manui occurrentium*

o) L. De Febrib. IV. 14. p. 543. Cf. *Paſchii* Inuent. Nou-Antiqu. c. 6. p. 385.

p) De Pernicioſ. Luis Vngaric. Tecmarſi et Curat. c. 1. p. 14. ſeq.

tium ſcintillarum ſenſum praebeat, ſed et quod maligna ſua ebullitione, ſi non puſtulas, quae alias febres τὰς μετὰ τῶν πεμφίγων *comitantur, attamen illis analogas et maculas, lenticulas morſusque pulicum referentes producat: vnde quibusdam lenticularis febris, Italis praeſertim et Gallis, nuncupatur.* Sed ſufficiant haec de *febribus* iis, qui *cum eruptione ſunt.*

II.

MORBI PERIODICI.

Nouum valitudinis aduerſae genus multis videntur eſſe ii *morbi, qui certo ambitu ſtatoque tempore redeunt*, neque tamen veram febrium naturam et formam exprimunt. Qui cum noſtra aetate ſaepius recurrant, factum eſt, vt multi viri clariſſimi, omniumque optime IO. CASIM. MEDICVS [a]), hos ſibi ſeorſim pertractandos ſumerent. Non adeo obuium (fateor) illud nomen apud veteres medicos eſt, ſi a vulgari febrium intermittentium ac remittentium typo receſſeris, neque particulatim iſti recenſentur, qui certis quaſi occultisque limitibus circumſcripti eodem tempore eodemque modo reuertantur: Attamen non deſunt exempla, ex quibus eorum antiquitas celebritasque intelligitur.

Apud GALENVM [b]) enim legitur, teſte PAVLLO, *palpitatio cordis, quae ſingulis annis verno tem-*

a) Geſchichte Periodiſch. Krankheit. *Karlsr.* 1764.

b) Apud *Paullum* L. De Re Med. III. 34. p. 455. Coll. *Steph.* et ed. graec. *Baſil.* p. 91. ſequ. vnde repetiit *Valeſcus de Taranta* Philon. Pharmac. III. 12. p. 267. ed. *Frſt.*

pore hominem quendam infeſtare ſolebat: *vehemens coxae dolor* c); *dyſenteria cruenta* d); *ophthalmia periodica* e), cet. Similiter ARETAEVS f) atque ARCHIGENES apud AETIVM g), talem *mictus cruenti* ſpeciem commemorarunt: Quae ſi non fiebat, aut temere cohibebatur, effecit *grauitatem corporis*, *morbos articulares*, *vertigines*, *deliria*, *inſanias*, *oculorum caecitates*, *malum corporis habitum*, *hydropem* cet. Commemorantur porro apud VALESCVM de TARANTA h) *febris*, *cuius acceſſio recurrebat trigeſimo quoque die ad annum trigeſimum continuando*; *vomitus periodicus a cephalaea periodica* apud WARBVRGVM i), virum amiciſſimum, ſimilisque *a calculis biliariis* repetendus apud Ill. HALLERVM k); *profuſio ſanguinis ex poro*, *quae ſingulo quoque menſe grauiter affligebatur*, apud ANT. BENIVENIVM kk); *haemorrhagia oris periodica* apud BOOTIVM l); *aſthma periodicum* ll) apud *Budiſſinenſes*.

c) *Gal.* Definit. Med. n. 290. p. 265. T. II. ed. *Chart.*
d) L. De Symptom. Cauſſ. III. 7. p. 96. T. VII.
e) L. De Febrib. I. 16. p. 147. T. VII.
f) De Cauſ. et Sign. Morb. Diut. II. 3. p. 53. ed. *Boerh.*
g) Tetrabl. III. Ser. III. c. 3. p. 548. Coll. *Steph.*
h) Philon. Pharmaceut. VII. 10. p. 597. ed. *Frft.* 1599.
i) Diſſ. De vomitu period. a cephalaea period. orto, caſu quodam illuſtrato, Hal. 1770. qui ſe ipſum hoc in loco deſcripſerat, iamque ab hoc malo ſine vllo tabis pulmonariae periculo ac metu, vt tunc temporis illi videbatur, liberatus eſt.
k) Opuſcul. Anatom. Argum. Min. Obſ. 39. p. 328.
kk) De Abdit. Morbor. Cauſ. c. 4. p. 207. ed. *Baſil.* 1529. ad calc. *Scribon.*
l) L. De Affect. Omiſſ. c. 7. p. 25. ad calc. ed. *Borell. Frft.* 1676.
ll) Budiſſin. Sammlung. n. VI. p. 33.

nenses. Immo vero *palpitationes cordis*, *tusses violentas ac inanes*, *capitis dolores* atque in primis *amaurosin veram* certa hora redeuntem et corticis peruuiani ministerio curatam apud *Illustr.* STOERCKIVM [m]); *morbum* quendam *neruorum*, qui certo tempore infestabat, apud IO. AVG. PHIL. GESNERVM [n]); *sanguinis sputum per periodos recurrens* apud PETR. FORESTVM [o]); *vehementem capitis dolorem, qui ad quemuis lunae motum reuertebatur* [p]); *morbum lateralem periodicum* apud BERN. VERZASCHAM [q]); *haemorrhoides vesicae periodicas* apud CORNEL. PEREBOOMIVM [qq]); *caecitatem* denique *periodicam* apud IO. IANINVM [r]), chirurgum gallum, memini me legere. Si cuius vero interest scire plura recentiorum medicorum exempla, MEDICI V. Cl. libellum ipsum adeat.

III.

ABSCESSVS LACTEI.

Ex hoc morborum genere, quos adhuc pertractauimus, sine dubio etiam illud est, quod vulgo *μετάστασιν lactis*, aut si ad exteriores corporis partes propellitur, *abscessus lacteos* appellant. Nam fuisse olim aut saltem potuisse hoc malum in puerperis

m) Annus Medic. I. p. 75.
n) Beobachtung. P. I. n. VIII. p. 163.
o) L. XVI. Obs. 22. p. 34. sequ.
p) Journ. Encyclop. T. VIII. P. I. Nov. 1772. p. 126.
q) Obseru. Medic. Cent. I. Obs. 15. p. 39. ed. *Basil.* 1677.
qq) Act. Nat. Curios. T. V. Obs. 9. p. 25. Similiter ibidem commemorat *Consbruch* (Obs. 26. p. 86.) *dolorem grauem et periodicum in dentis euulsi alueolo, cortice peruuiano discussum.*
r) In Mem. sur l'oeil cet. v. ap. *Richterum* Bibl. Chirurg. Band II. St. I. p. 130.

peris nasci, atque aliena loca petere, perquam credibile est, et ASTRVCCIO [a]) ipsi sic videtur, siquidem veteres medici, in primisque omnium HIPPOCRATES [b]), purgationis eius, quae post partum fieri debet, rationem longe maximam habendam esse voluerunt, ne ad aliena loca delata mulierem in periculum vitae coniiciat. At vero partim ob diuersam victus rationem, partim ob quasdam caussas alias, quas iam multis anquirere non attinet, rarius occurrit ille morbus apud veteres, quam vt quid certi hac in re statuere ausim. Sed vbi ad nostra tempora ventum est, minus infrequens hic morbus esse videtur. Apud DAN. SENNERTVM [c]) enim ex SCHENCKII et ANDR. LAVRENTII obseruationibus confirmatur, magnam lactis vim per vesicam et vterum delatam esse, quale quid etiam per interanea factum esse alio loco [d]) legere me memini. *Abscessus lactei* vero accidunt, si quid humoris huius, mutata sede naturali, ad quascunque externas corporis partes deferatur, stagnando corrumpatur, atque in verum pus abeat. Commemorarunt haec abscessus genera PVZOS, LEVRETVS, SMELLIE [dd]) SWIETENIVS [e]), LVDWIGIVS [f]), HEL-

a) Les Maladies des femmes c. 16. §. 1. p. 451. seq. T. V.
b) Praedict. I. §. 10. p. 477. T. I. ed. *Lind.* similiterque in Coac. Praenot.
c) Medicin. Pract. L. IV. P. III. Sect. II. c. 4. p. 523.
d) Medicin. Wahrnehm. Band I. Stück II. n. 6. p. 99.
dd) Hebammenkunst B. III. Samml. 43. p. 483. sequ. vers. germ.
e) Comment. in Aph. *Boerh.* §. 1329. p. 610. T. IV. ed. *Hildb.*
f) Aduersar. Med. T. II. P. I. n. VI. p. 183. sequ.

HELDIVS g), FRID. van ROOYE h), VIGERVS et PLANCHONVS i), SCHLEGELIVS ii), alii, quos, ſi placet, legiſſe poenitebit puto neminem.

IV.

MALVM HYPOCHONDRIACVM ET HYSTERICVM.

Nouum valitudinis aduerſae genus, in quo praeter nomen omnia conſentiant, *malum* eſt *hypochondriacum* atque *hyſtericum*. Vtrumque vero quanta ſignorum diriſſimorum caterua inſigne atque famoſum ſit, maximeque *malum hypochondriacum*, niſi in arte ſalutari vitaeque vſu hoſpes plane ac peregrinus ſit, fugere puto neminem. Inuaſit enim multorum, doctorum in primis, hominum animos peruerſa illa peſtiferaque ſane opinio, vt, ſi qua ventriculi inteſtinorumque labe corripiantur, aut hebetiores in cogitando ſint, illico ad praecordia, tanquam ad anchoram ſacram confugiant.

g) In *Levrets* Kunſt der Geburtshülfe, Vorred. meminit id genus mali, vbi ex lactis metaſtaſi reſolutio linguae orta eſt, eaque non vincenda, niſi prius magna puſtularum vis cum vrina lactea foras ſeceſſerat.

h) Diſſ. De Apoplexia Lactea, *Lugd. Bat.* 1771. in qua multa, eaque praeclare dicta et magni in lactis migratione vſus continentur.

i) Journ. de Medec. T. XXXVI. v. ap. *Richter.* Bibl. Chirurg. B II. St. II. p. 97. ſequ.

ii) Diſſ. De Metaſtaſi in morbis §. 15. b. p. 48. ſequ. Cf. ſi placet libellum, qui nuper Lipſiae prodiit, hoc nomine: *Sammlung Auserleſ. Abhandlung* St. I. in quo *Puzos, David, Levretus* et *Deleurye* hac de re ſcripta in noſtram linguam verſa proſtant.

fugiant. Neque (turpe dictu) defuerunt in Asclepiadarum collegio, vt nuper iure suo questus est Ill. VOGELIVS a), qui cum hoc morbi genus aut non satis intelligerent, aut semper in ore saltem haberent illud HORATII b) effatum:

O ciues, ciues! Quaerenda pecunia primum est,
Virtus post numos;

tamen sacra auri fame compulsi quamuis inflationem ciborumue nauseam hoc nomine insignendam existimarunt.

Mira profecto mali huius facies ac forma est, quam bene naturaeque apposite nuper expressit VOGELIVS c), similiterque illud, vt PROTEVS apud VIRGILIVM d)

Omnia transformat sese in miracula rerum.

Alius enim aliter cum hoc morbo conflictari solet, incredibilisque auctorum est in caussa eius anquirenda definiendaque dissensio. Prohibemur autem et temporis angustiis, et argumenti huius dignitate, quin eos omnino omnes in publicum prodire iubeamus, aut in refellendis ludicris nonnullis minusque firmis sententiis toti simus.

Multa vero, ni fallor, apud veteres occurrunt *mali hysterici* vestigia, neque eorum signa vllo modo ab iis discrepant, quae hodie illi vulgo attribuuntur.

a) Praelect. Academ. Class. V. §. 542. p. 436.
b) Epistol. L. I. Ep. I. v. 53. sequ.
c) L. cit. §. 543. p. 437.
d) Georgic. IV. v. 441.

buuntur. Primum enim apud HIPPOCRATEM [e]), cum in virginum mulierumque morbis verſaretur, ex ſanguinis multitudine profluuioque naturali impedito gigni dicuntur *timor, caligatio oculorum, ſtrangulatio, moeror animique triſtitia, ſpectrorum viſa, mortis deſiderium* cet. quibus peractis, tandem reſipiſcunt. Huc accedit, quod alio loco [f]) in eo conuulſionis genere, quo corripi ſolent mulieres, (ὅταν αἱ ὑςέρες πνίγωσι) etiam collocantur *repentina ἀφωνία, ſtridor dentium, cutis nigra, dolores ad caput et collum* [g]), *vomitus acidi* [h]), *inflatio ventris et vteri* [i]), *oculorum diſtortio, ſaliuae fluxus ac ſpuma* [k]) *iis, ſane, qui in herculeum morbum incidunt, ſimilis; vrinae ſtillicidium* [kk]), *tumores pedum, coloris foeditas, anhelatio, anxietudo, ciborum auerſatio, ſuffocatio* [l]), *febris, rigor, dolores velut globuli in ventre oberrantis ac tormina; dolor capitis, modo in vna, modo vtraque parte* [m]); *ſopor profundus, flatus emiſſio* [n]), *roſio ſtomachi* [o]), *flauus oculorum color* [p]) cet. Quae ſi cum recentiorum auctorum deſcriptionibus conferre vellem, tempus me profecto deficeret, non materia.

Huc

e) L. De Virgin. Morb. p. 356. T. II. ed. *Lind.*
f) L. Nat. Mulier. §. 3. p. 359. T. II.
g) L. cit. §. 18. p. 371. h) Ibid.
i) L. cit. §. 35. p. 393.
k) L. Morb. Mul. II. §. 16. p. 545. T. II.
kk) L. Morb. Mul. I. §. 17. p. 427.
l) L. De Nat. Mul. § 41. ſeq. p. 397.
m) L. Morb. Mul. II. §. 60. p. 527.
n) L. cit. §. 16. p. 546.
o) L. cit. §. 18. p. 547.
p) L. cit. §. 64. p. 594.

Huc accedit, quod DIOCLES CARYSTIVS apud GALENVM q) huius morbi, quem alii *melancholicum*, alii *flatuosum* appellarant, originem, caussas et conuenientiam cum eo, qui vulgo *malum hypochondriacum* dicitur, descripsit quam accuratissime, adeoque, si quid video, ex his conficitur, *mali hysterici* natales et nomen inde ab veteribus esse repetendum, appositeque rei olim dixisse HIPPOCRATEM r), cum haec, experientia duce, scriberet: Τὰ πλεῖστα τῶν ὑστερικῶν ποιέουσιν αἱ φῦσαι. σημεῖον οἱ ἐρευγμοὶ καὶ οἱ περὶ γαστέρα ψόφοι, καὶ ἐπάρματα ὀσφύος, καὶ περὶ νεφροὺς ἀλγήματα, καὶ ἰσχία. *Plurimas vteri affectiones flatus faciunt. Signum sunt ructus et strepitus circa ventrem, et lumborum tumores, et dolores circa renes ac coxas*

Similis ratio *mali hypochondriaci* est. Quod etsi non eodem semper, quo nos hodie vtimur, nomine veniat, tamen eius caussas, signa, euentus, tam bene accurateque expresserunt veteres, nihil vt accuratius. Commemorauit illud et ad viuum iam descripsit DIOCLES CARYSTIVS s), qui (fateor) in morbi huius inuestigatione ac inquisitione haud infeliciter olim versatus est. Eum vero ab aliis ὑποχονδριακὸν καὶ φυσῶδες νόσημα appellari,

q) De Loc. Affect. III. 10. p. 441. T. VII. ed. *Chart.*

r) Epidem. VII. §. 34. p. 858. T. I. Cf. *Aëtii* Tetrabl. IV. Serm. IV. c. 68. p. 812. Coll. *Steph.* vbi et breuis signorum imago fit, et caussarum inuestigatio sic, nihil vt accommodatius haec omnia referat, simulque ille auctor est, eam strangulationem a *Sorano* appellatam esse *flatuosam perfrigerationem non inflammationem.*

s) L. cit. pag. cit.

appellari, eiusque praecipua ſigna eſſe *moeſtitiam, metum, dolorem, oculorum caligationem* cet. GALENVS auctor eſt.

Inflatio haec apud AETIVM t) et PAVLLVM u) a mala ciborum concoctione repetitur, quae in iis, qui praecordiis laborare dicuntur, ſimiliter accidunt. *Cum vero neque per os*, inquit ibidem GALENVS, *neque per ſedem excernitur, inflationem appellatam producit.* Mira ſaepenumero huic flatuum naturae adiuncta eſt ſymptomatum diriſſimorum cohors, quam, ne mihi ipſe fingendo conſuluiſſe videar, placet ARCHIGENEM v) loquentem inducere. *Accedit affectis*, inquit ille, *ſtomachi gravitas, et diſtentio, multosque fallit, tanquam in ipſum ſolum dolor innitatur. Etenim malum aliquando quidem iuxta totum pectus, aliquando vero retro iuxta collum ac dorſum, atque ipſa vertibula irruit; Saepe autem et vtrinque occupatos tenet. Aliquando autem et tumorem circa os ventris efficit, ructusque inanes fiunt modice alleuantes, inhibitioque flatuum, qui per aluum excerni conſueuerunt. Succumbit autem et tumor ipſe iuxta ventrem, ad manuum impoſitiones ſublaxus cedens. Quibusdam eorum et dolores accidunt, et appetitus perditiones, ac capitis dolor: Si vero ante perfectam reſtitutionem cibum accipiant, amplius membra ipſa inflantur, et cum dolore amplius diſtenduntur, qui ſaepe ad clauiculam vſque differtur, ipſasque ſcapulas ac vniuerſam*

t) Tetrabl. III. Serm. I. c. 27. p. 466. Coll. *Steph.*

u) De Re Med. III. 14. p. 424. Coll. cit. et ed. *gr. Baſil.* p. 65.

v) Ap. *Aëtium* l. et pag. cit.

ſam ſpinam, vltra hoc, quod et ructus cohibentur; vt aliqui iam non diſſimile quiddam ſuffocationi ſe perpeti aeſtimarint. —

Varia hinc malo huic nomina ex ſede data ſunt, ſic, vt *ſplenis inflatio* diceretur, quia tunc temporis, auctore AETIO w), *tumor loci conſequitur, qui, impoſita manu, ad tactum cedit, et diſtentionem loci infert:* Apud HIPPOCRATEM x) vero *morbus niger*, vt SPONIO y) videtur, qui eum, conferendis cauſſis atque ſignis, non tantum pro mali hypochondriaci ſpecie, verum etiam pro *melancholia hypochondriaca ſummi gradus* haberi vult. Similiter morbus ille, vt eidem SPONIO z) perplacet, *Φροντὶς* a) nominatur, ſi cum inſigni moerore triſtitiaque coniunctus ſit. Neque, quantum equidem video, iniuria. Habent enim iſta morborum genera multa inter ſe communia, qualia ſunt *doloris ſenſus, anxietas, lucis hominumque odium, timor, viſa ſomniaque horrenda*, quae interdum *hypochondriacos ſine materia*, vt in ſcholis loquuntur, infeſtare ſolent, et ipſi nuper vidimus in docto quodam nobisque amiciſſimo viro, qui vbi nimis litterarum, maximeque philoſophiae ſtudiis, impalluerat,

w) Tetrabl. III. Serm. II. c. 9. p. 521.

x) L. De Morb. II. §. 35. p. 61. ſeq.: L. cit. §. 66. p. 90. T. II. Omnium optime autem L. cit. §. 71. ſeq. p. 93.

y) Comment. in Aph. *Hipp.* Sect. III. §. 2. p. 110. Cf. Sect. III. §. 6. p. 176. et *Geſner.* Beobacht. n. III. p. 55. ſequ. P. I. vbi multa de nigro hoc morbo diſputantur.

z) L. cit. Sect. V. 80. p. 391.

a) *Hipp.* L. De Morb. II. §. 70. p. 93. T. II. ed. *Lind.* Cf. *Dan. Sennert.* Prax. Med. L. III. P. V. Sect. I. c. 1. p. 505.

palluerat, tandem in veram mentis hebetudinem, marcorem, rerumque fere omnium obliuionem incidit.

Pertinet huc etiam, nisi me omnia fallunt, illud morbi genus, quod ab HIPPOCRATE b) dicitur ἀνάντη. Accidere enim ibi commemorantur *cibi et fastidium, et desiderium, dolor oris ventriculi, vomitus saliuae, bilis, pituitae*, vnde aliquid leuaminis oriatur; item *ructus, aestus, desidendi cupiditas ac flatuum emissio; dolor capitis et corporis, quasi aciculis pungeretur, crurum grauitas atque infirmitas*, exindeque *marcor* cet. quae, dici vix potest, quam bene cum dirissimis hypochondriacorum tormentis conueniant. Eodem loco habendae sunt *quarta et quinta typhi species*, quarum apud HIPPOCRATEM c) fit mentio, ob caussarum signorumque similitudinem. Quorum in numero eminent *inflatio, dolor, atque tormina, venter magnus et durus, aluus nulla, rigor, febris* cet. His adde si placet, morbum illum, quem Cous senex a praecipuo signo *morbum ructuosum* d) appellandum duxerat.

In tanta igitur horum morborum, quos veteres commemorarunt, consensione ac conuenientia cum malo hypochondriaco fieri nullo modo potest, vt quis adhuc dubitet, aut in forma eius intelligenda turpiter alucinetur, modo semper illud poetae in mentem reuocet:

Felix, qui potuit rerum cognoscere caussas!

 Idque

b) L. De Morb. II. §. 64. p. 88. T. II.
c) L. Intern. Affectionib. §. 45. p. 251. et §. 46. p. 253. T. II.
d) L. cit. §. 67. p. 90.

Idque eo magis, quia secundum HIPPOCRATEM e) τὰ ὑποχόνδρια μετέωρα et σπληνῶν ἐπάρσιες semper sunt mali augurii.

V.

SCORBVTVS.

Nouum morbi genus, vt IO. WIERO a), CITESIO, IO. FREINDIO aa), aliisque videtur, *Scorbutus* est, quem barbari *gingipedium* olim appellarunt. Infestat plerumque nautas marisque accolas, atque militibus haud raro familiaris est. Sed falluntur vehementer, quibus hic morbus nouus habetur, vt nuper demum sensit SWIETENIVS ὁ πάνυ b). Meminerunt enim eius iamiam medici veteres, etsi nomine aut tecto aut minus definito, vt DAN. SENNERTVS bb) sua aetate PETRVS FORESTVS c) ac nuper demum RICHTERVS cc) et RAYMONDVS d) luculenter demonstrarunt.

Primus enim, ni fallor, eum commemorauit HIPPOCRATES e) sub *magni splenis* nomine; quoniam

e) Coac. Praenot. p. 565. et Epidem. V. Sect. II. p. 800. T. I. ed. *Lind.*

a) Observ. De Scorbuto p. 188. seq. ap. *Sennert.* vbi plura hac de re auctorum loca allegantur.

aa) Hist. de Medecin. P. III. p. 286. ed. *Paris.*

b) Comm. in *Boerh.* Aph. 1148. p. 590. T. III. ed. *Hildb.*

bb) Medicin. Practic. L. III. P. V. Sect. II. c. 1. p. 542. seq.

c) Obs. 11. L. XX. p. 292. sequ.

cc) Progr. *In Hipp. Scorbuti antiquitates* Gotting. 1774. Quam scriptionem nunquam ad manus venisse, vehementer doleo.

d) Histoire de l'Elephantiasis, p. 119. sequ.

e) L. De Affectionib. §. 21. p. 172. T. II. ed. *Lind.*

quoniam ii omnes, qui hoc malo laborant, fiunt *κακόχροιοι, καὶ καχελκέες, καὶ δυσώδεες ἐκ τῦ ςόματος, καὶ λεπτοί. Mali coloris, malis vlceribus ſcatent, et ex ore graue olent, et tenues euadunt.* Sed ne huic loco plus fidei adhibuiſſe videamur, quam fas eſt, videamus, quae alias ee) de hoc malo adferuntur. Sunt vero eius ſigna, *inflatio, ſplenis tumor, durities atque dolor, foeda coloris in nigrum, pallidum, liuidumue mutatio, malus auris gingiuarumque odor, ſic, vt hae a dentibus diſcedant; tibiarum vlcera, et ἐπινυκτίδες, membrorum marcor, alui ſegnities* cet. Quibus ſi ex ſequenti ſplenis morbo adiunxeris *dolores acutos, in iugulo, mammis, humero atque ſcapulis, colorem corporis plumbeum, vlcuſcula tibiarum prurientia, quae tandem in magna vlcera tranſeunt; profluuia inteſtinorum αἱματώδεα et ἰώδεα* cet. facile ad perſpiciendum eſt, haec omnia non, niſi de ſcorbuto noſtro explicari poſſe, praeſertim ſi bene memineris, illa et ineſſe haud raro huic valitudinis aduerſae generi, et minus tuta crurum vlcera, in iis, qui ex magnis ſplenibus laborant, fore, HIPPOCRATEM Coum atque PAVLLVM f) praedixiſſe.

Mirari hinc ſatis non poſſum, quid ſit, quod IO. WIERVS g) hanc lienis magni cum ſcorbuto conuenientiam temere pernegaret. Huc etiam ſine dubio

ee) L. Intern. Affect. §. 34. p. 239. T. II.

f) De Re Med. L. III. 49. p. 473. Coll. *Steph.*

g) L. cit. p. 189. Cf. *Ronſſeum*, Magn. Lien. *Hipp.* c. II. p. 147. ſeq. et *Sal. Alberti* De Scorbut. n. 117. p. 244. et p. 254. ſeq. ad calc. *Sennert. Opp.*

dubio pertinet, quod Cous ſenex h) in ſplenis magni ſignis etiam collocandas exiſtimauit *gingiuas malas et oris graueolentiam.* Οὖλα δὲ πονηρὰ, inquit, καὶ στόματα δυσώδεα, οἷσι σπλῆνες μεγάλοι. ὁκόσοι δὲ ἔχουσι σπλῆνας μεγάλους, μήτε αἱμοῤῥαγίαι γίνονται, μήτε στόμα δυσῶδες, τουτέων αἱ κνῆμαι ἕλκεα πονηρὰ ἔχουσι, καὶ οὐλὰς μέλαινας. *Gingiuae vitiatae et ora graueolentia his ſunt, quibus ſplenes magni. Quicunque vero habent ſplenes magnos, et neque ſanguinis eruptiones ipſis contingunt, neque oris graueolentia, horum tibiae vlcera praua habent, et cicatrices nigras.* Sed iterum hoc loco de ſcorbuto agi negat IO. WIERVS i), aiunt vero IO. LANGIVS et DAN. SENNERTVS k), neque ego, cur praeclaris iſtis viris in tanta idoneorum argumentorum copia temere repugnem, video.

Aliud familiare ſcorbuti nomen apud veteres eſt, vt multis videtur, *icterus niger*, cuius prae ceteris meminerunt HIPPOCRATES l) atque PAVLLVS m). Sed falluntur vehementer, ſi qui hanc deſcriptionem ſine vlla lege ac conditione adhibent, cum ſigna morbi nigri atque ſcorbuti, incredibile, quantum a ſe differant, atque *coloris foeditas, capitis grauitas, corporis inualitudo, pedum tumor* cet. a quouis ſuccorum vitio naſci poſſint. In quo

h) Praedict. II. §. 42. p. 518. T. I.
i) L. cit. p. 189. ſeq.
k) L. De Scorbut. c. 1. p. 16. ſeq.
l) L. De Morb. II. §. 35. p. 61. et L. Intern. Affect. §. 31. p. 235. T. II. ed. *Lind.*
m) De Re Med. III. 49. p. 473. Coll. *Steph.*

quo consentientes habemus BALD. RONSSEVM n), IO. ECHTIVM o), SAL. ALBERTVM p), alios, qui hoc in loco exprimi scorbuti imaginem audacter negant. Neque, quantum equidem video, iniuria. Ipse enim HIPPOCRATES q) studio deditaque opera haec adiecisse videtur, ἢ μὲν σπληνώδης ἔῃ. *Si splenicus fuerit.* Huc etiam sine dubio spectauit CAELIVS AVRELIANVS r) cum in lienosorum signis haec collocaret. *Praeterea oris foetor aegrogantes afficit, cum gingiuarum putrefactione, et defluxione.* Hinc eam medicorum dissensionem feliciter sic tollendam, existimauit, DAN. SENNERTVS, vt *icterum nigrum scorbuto adiungi posse*, at vero nec semper, nec aequo pede, bina haec inter se mala conuenire statueret. Similiter se gessit in *vitiligine nigra*, quam GALENVS t) adduxerat, atque τὸ δύνατον societatis concessit, necessitatem vero perfectamque conuenientiam iure suo pernegauit.

Quibus ita se habentibus, alia nobis adhuc addere, atque prae ceteris *voluuli* exemplo apud HIPPOCRATEM u) abuti liceat. In prima enim huius mali specie commemorantur *flatus in omni corpore, color plumbeus, rigor perpetuus, squamula-*

n) L. De Magn. Lien. *Hipp.* c. 3. p. 149.
o) L. De Scorbut. p. 183.
p) L. De Scorb. n. 165. p. 251. ad calc. *Opp. Sennert.*
q) L. De Morb. II. § 35. p. 62.
r) Morb. Diut. III. 4. p. 449. ed. *Amman.*
s) L. De Scorbut. c. 1. p. 15. Cf. Medicin. Pract. L. III. P. IV. c. 11. p. 500.
t) L. De Symptom. Causs. III. 3. p. 89. T. VII. ed. *Chart.*
u) L. Intern. Affect. §. 47. seq. p. 254. T. II. ed. *Lind.*

rum casus quasi ab affusa calida, tumor pedum, crurum grauitas atque tremor, anhelatio, si quis iter per accliuia loca fecerit; vlnarum dependentium imbecillitas, magna per noctem sitis, mala ciborum digestio cet. His adiiciuntur in *secunda voluuli* specie, quam HIPPOCRATES in paluſtribus regionibus accidere, nec non ab aquae potu ac aestate maxime, fieri perhibet, *color pallidus, qualis malicorii esse solet, oculique morbum regium mentientes* cet. Tertiae demum speciei iterum sua signa sunt propria quasi atque familiaria, diciturque ille *voluulus* αἱματίτης, Sic enim Cous senex v): Ἐκ τοῦ σόματος κακὸν ὄζει, ἀπὸ τῶν ὀδόντων, καὶ τὰ οὖλα ἀφίσαται· καὶ ἀπὸ τῶν ῥινῶν αἷμα ῥέει. ἐνίοτε δὲ καὶ ἐκ τῶν σκελέων ἕλκεα ἐκφυνδάνει, καὶ τὰ μὲν ὑγιαίνεται, τὰ δὲ ἄλλα προσγίνεται. καὶ ἡ χροιὴ μέλαινα καὶ λεπτόδερμος. περιφοιτεῖν δὲ καὶ ταλαιπωρέειν οὐ πρόθυμος. *Ex ore male olet a dentibus, et gingiuae abscedunt, et a naribus sanguis fluit. Aliquando etiam ex cruribus vlcera pullulant,*

v) L. cit. §. 49. p. 256. Desideratur in quibusdam editionibus et Codd. post ταλαιπωρέειν particula οὐ, indeque denegarunt *Ronsseus* l. c. p. 151. et *Wierus* l. c. p. 190. hisce verbis omnem auctoritatis vim. Idque recte, modo vere ac tuto τὸ, οὐ, abesse posset, neque ea omnino symptomata, quae praecesserant, illud desiderarent, praesertim cum *Hippocrates* (L. Int. Aff. §. 39. p. 244. T. II.) occasione secundae morbi regii formae expresse dixerit, οὔτος προθυμός ἐστι πρὸς τὸ πορεύεσθαι καὶ φοιτᾶν, ἀλλ᾽ ὑπὸ τῆς ἀσθενείας αὐτοῦ τὰ σκέλεα ὑποφέρεται. *Hic promtus ad iter faciendum et ambulandum, sed prae debilitate crura labascunt, ac ipsum non sufferunt.* Alii, teste *Foësio* ad h. l. p. 704. οὐ πρόθυμος legi malunt. Similiter *Celsus* IV. 9. p. 215. ed. *Kraus.* legisse videtur.

lant, et alia ſaneſcunt, alia emergunt. Et color niger fit, et cutis tenuis. Eſt autem ad deambulandum ac laborandum non promtus. Quae ſignorum deſcriptio niſi ſcorbutum noſtrum ad viuum exprimat, quid tandem aliud, plane non video.

Qua de cauſſa cum hoc morbi genus, quod ϛομακάκην et σκελὸτύρβην appellarunt, ob oris vlcera crurumque reſolutionem, olim STRABONE w) teſte, Galli, Rom. Imperatoris, copiis in Arabia fuerit exitio, aut cum hac *Hippocratea* deſcriptione conuenire neceſſe eſt, vt nobis videtur, aut ſaltem eandem, quam apud GALENVM x) legere me memini, eſſe σκελοτύρβην, etſi, vt dubia in re atque coniecturali facile fieri ſolet, DAN. SENNERTVS y), corruptus quaſi RONSSEI at-

 que

w) Geograph. XVI. ad fin. p. 781. et ni fallor, *Galenus* Comm. in L. Nat. Hom. II. Text. 3. p. 132. T. III. ed. *Chart.* ſimiliter de aquarum vi venenata exercitusque interitu pronunciauit, et ap. *Olaum Magnum* (L. IX, 38. et L. XVI, 51. De Septentr. Region.) ſcorbutus *morbus caſtrenſis* dicitur.

x) Definit. Medic. n. 293. p. 265. T. II. ed. *Chart.*

y) L. cit. Cf. *Sauuages* Noſolog. Method. T. III. P. II. p. 36. et p. 441. qui inter ſcorbuti nomina etiam retulit *Stomacacen* et *Scelotyrben Plinii, Ileon Haematiten* et *magnos ſplenes Hipp. Ronſſeus* vero l. cit. multus eſt in confutanda voc. σκελοτύρβης notione, quam priſci adhibuerant ad hoc valitudinis genus ſignificandum; Sed temere ac citra vllam neceſſitatem. Illa enim παράλυσις ſecure locum ſuum obtinet, modo haec omnia rite inter ſe comparaueris. Porro Epiſt. II. p. 171. aduerſ. *Wierum* demonſtrauit, ſcorbutum interdum ſine maculis crurumque vlceribus eſſe poſſe, non vero ſimul ſine omni gingiuarum vitio ac foetore oris, interdum vero cuncta in peius ruere, aliterque contingere. *Adeo nihil ita perpetuum eſt*, inquit, *quin alterationem aliquam*

que WIERI auctoritate, hanc ad ſcorbutum noſtrum referri poſſe negat, contra IO. LANGIVS z) ait, vterque tamen, vt nobis videtur, bene inter ſe conueniunt.

Nam et STRABO, et is, qui definitiones haſce medicas conſcripſit, huic valitudinis aduerſae generi παράλυσίν τινα περὶ τὰ σκέλη adſignant, et quotidiana experientia vſuque confirmati ſcimus, dirum illud ſignum ſcorbuto, ſi inueterarit, proprium quaſi ac familiare eſſe. Id quod more ſuo ſic expreſſit PLINIVS a): *Nec beſtiarum ſolum ad nocendum ſcelera ſunt, ſed interim aquarum quoque ac locorum. In Germania trans Rhenum caſtris a Germanico Caeſare promotis, maritimo tractu fons erat aquae dulcis ſolus, qua pota, intra biennium dentes deciderent, compagesque in genibus ſoluerentur. Stomacacen medici vocabant et ſcelotyrben ea mala. Reperta auxilio eſt herba, quae vocatur Britannica, non neruis modo et oris malis ſalutaris, ſed contra anginas quoque et ſerpentes.*

Alio *oſcedinis* nomine vſus MARCELLVS b) eſt, ad hoc morbi genus ſignificandum, eamque eſſe noſtro

quam non ſuſcipiat. Solent etiam morbis multa accidere pro loci, temporis, et naturae ratione. Cf. *Sal. Alberti* L. De Scorb. l. cit. p. 257. qui *Strabonis* verba per, ὡς παράλυσις, explicat, atque hac via omnem diſſenſionis cauſſam tolli poſſe cenſuit.

z) Epiſt. Medicinal. L. II. Ep. 14. p. 558. ed. *Hanov.*

a) Hiſt. Nat. XXV. 3.

b) L. De Medicament. c. 11. p. 291. Coll. *Steph.* Cf. Quae contra *Ronſſeum* hac de re monuit *Dan. Sennertus* (Med. Practic. L. III. P. V. Sect. II. c. 1. p. 542. ſeq. vbi ſimul argumentis, iisque firmiſſimis, demonſtratur, longe aliam

nostro scorbuto conuenientissimam, cum primis ex eo elucescit, quod illam et inter vlcera gingiuarum orisque vitia referat, et herbae Brittannicae vsu auferendam suadeat, in quo cum PLINIO mirifice consensit.

Ab hoc demum tempore vsu venit, vt hoc valitudinis aduersae genus in dies ingrauesceret, maiorique symptomatum multitudine hominum vitae strueret insidias, ex quo non potuit non eius natura et indoles plenius intelligi. Meminit enim RODERICVS a FONSECA c) hoc malum *Lusitanis* accidisse, *qui primi orientalem Indiam nauigando inuenerunt. Nam in quodam promontorio*, pergit ille, *cum bibissent aquam cuiusdam fluminis, omnes gingiuae tumefactae sunt adeo, vt os non caperent, et Zithum, quod fit ex illis aquis, non deponit vitium illud. Pane secalino nutriuntur, multo caseo vtuntur, carnibus porcinis piscibusque salitis, brassica multa vescuntur, leguminibus quoque multis, quo victu et vtuntur nautae illarum regionum.* —

Multiplicem vero huius mali formam maximeque mutabilem esse, vel ex eo licet colligere, quod quo recentior illa pestis in regione quadam fuit, eo crudelius se gesserit. Id quod ita GEORGIVS FABRI-

aliam esse illam *oscedinem*, cuius *Gellius* (Noct. Attic. IV. 20. p. 75. b. ed. *Ald.*) meminit. Cf. *Hier. Mercurial.* Var. Lect. V. 10. p. 108. vbi variae doctorum hominum de *oscedine* sententiae recensentur ac explicantur. De *herbae Brittannicae* autem vsu in oris vlceribus vide, si placet, *Dioscoridem* (Mater. Med. IV. 2. p. 246. ed. *Sarac.*), *Plinium* (Hist. Nat. XXV. 3. et 5.), alios.

c) Consult. Medic. II. p. 33. T. I.

FABRICIVS [d]) ad viuum expreſſit. *Graſſatus eſt hoc anno nouus et inauditus in his terris morbus, quem nautae Saxoniae vocant den Scharbock, qui eſt inflammatio* (alii legunt, inflatio) *in membris partium carnoſarum, cui quo celerius adhibetur medicina, eo citius malum reſtinguitur. Sin mora accedit paullo tardior, ſequitur membri affecti mortificatio, quam ſiderationem noſtri, Graeci σφάκελον dicunt, vltimum gangraenae malum. Nam caro ab oſſibus defluit, et continua quoque e lue corrumpuntur. Fuit idem morbus contagioſus, multorum mortalium graui periculo.* Hactenus ille, neque abſimiliter, qui noſtra aetate hoc de malo libellos conſcripſerunt, etſi et accuratione, et diligentia ſumma priſcis hominibus longe antecellunt.

Ex his igitur, quae adhuc diximus, facile colligitur, perperam ſane nimisque ex praeiudicata opinione agere, qui ob quandam nominis diſſimilitudinem ſcorbutum in nouorum morborum numero collocandum eſſe exiſtimant, ſiquidem, auctore SENNERTO [e]), *nihili refert, quod nomen ſcorbuti apud hos auctores non extet. Neque enim de nomine hoc, quod ſeptemtrionalibus hiſce regionibus ſaltem vſitatum fuiſſe et eſſe facile conceditur, ſed de re et morbo ipſo eſt quaeſtio, ſub quocunque etiam nomine eum propoſuerint. Neque id ſatis firmum eſt, quo nonnulli euincere volunt, ſcorbutum antiquis plane incognitum,* quod

d) Annot. Vrb. Miſnae L. II. ſub Hiſt. Ann. 1486. ap. *Paſchium* Inuent. Nou-Antiqu. c. 6. p. 388. Cf. *Remb. Dodonaeus* Obſerv. Medic. c. 33. qui ſcorbutum apud *Brabantos* ἐπιδημιώτερον *anno* 1556. *fuiſſe* auctor eſt *ob triticum corruptum ex Boruſſia aduectum.*

e) L. cit. p. 548.

quod ſcilicet nemo veterum macularum mentionem fecerit, quae ſint infallibile ſcorbuti indicium, vt, quando apparent in cruribus, medicus non dubitet de ſcorbuto. Etenim non ſemper apparent maculae, etiam in iis regionibus, vbi ſcorbutus familiaris: et variant ſymptomata pro regionum et corporum varietate. Neque tamen HIPPOCRATES *maculas plane praeteriiſſe videtur, cum colorem crurum nigrum fieri dicit, quae ſunt maculae illae nigrae.*

Eſt igitur in tanta malorum caterua, quae varia ſub forma valitudini vitaeque hominum inſidiantur, prudentis certe medici, veterum recentiorumque ſcriptorum monimenta diurna nocturnaque manu verſare, vt, ſi quid olim aduerſus tantam tamque diram peſtem inuentum ſit, illis qualibuscunque copiis grati lubentesque abutamur, neque morborum nouitatem temere ſtupeamus, ſiquidem, MANILIO f) iudice,

Fata regunt orbem, certa ſtant omnia lege,
Longaque per certos ſignantur tempora curſus,
Naſcentes morimur, finisque ab origine pendet.

VI.
RACHITIS.

Aliud in mentem venit valitudinis ſiniſtrae genus, quod plurimis medicorum videtur noſtrae aetatis eſſe, diciturque *rachitis*, quae vera infantum ἀτροφία eſt cum tumore articulorum, membrorum omnium marcore, foedaque corporis totius deformitate. Qui morbus cum olim ſtrages ederet

f) Aſtronomic. IV. v. 14. ſeq.

ederet incredibiles, atque in dies magis magisque aggraueſceret, factum eſt, vt horrendum illud vitium curatius *tabis pectoreae* nomine deſcriberet ARNOLDVS BOOTIVS [a]), adeoque inuentoris loco a multis haberetur. Hunc paullo poſt exceperunt FRANC. GLISSONIVS [b]), IO. MAYOVIVS [c]), aliique praeter hos multi, quos omnes omnino commemorare nec huius loci eſt, nec propoſito noſtro ſatis accommodatum.

Sed falluntur, vt nobis videtur, vehementer, ſi qui GE. FRANCKII de FRANCKENAV [cc]) et magni BRENDELII [d]) auctoritate freti, veteribus medicis hunc morbum tetrum atque pernicioſum prorſus incognitum fuiſſe perhibent. Non enim profecto licet nobis tam duriter ſentire, ſiquidem illa valitudinis forma illos nullo modo latuit, et apud HIPPOCRATEM [dd]) hiſce verbis ad viuum expreſſa videtur. Ἀναίνεται μύελος ὁ κατὰ τὴν ῥάχιν μάλιστα, ὁκόταν τὰ φλέβια ἀποφραχθῇ, τὰ ἐς τὸν μυελὸν τείνοντα, καὶ ἡ ἐκ τοῦ ἐγκεφάλου

a) L. Affect. Omiſſ. c. 12. p. 35. ed. *Petr. Borell.*

b) Tr. De Rachit. *Lond.* 1650. 12.

c) Diſſ. De Rachitide, in *Opp.* p. 383. ſeq. Cf. *Sauuages* Noſol. Method. T. III. P. II. p. 403. ſequ. vbi hoc valitudinis genus bene naturaeque appoſite deſcribitur.

cc) Satyr. Medic. XVII. §. 3. p. 327.

d) Diſſ. I. De Rhachitide, §. 2. p. 2. ſequ. P. II. Opuſcul. Medicor.

dd) L. Intern. Affection. §. 14. p. 214. T. II. ed. *Lind.* Cf. ſi placet, conſentientem Gallum medicum, *Le Vacher de la Feutrie*, in Trait. des Rachitis, *Paris* 1772. et *Richterum*, optimum libelli huius iudicem, Bibl. Chirurg. B. II. St. II. p. 62. ſequ.

φάλε ἔφοδος, διὰ κάκωσιν δὲ τοῦ σώματος τάδε πάσχει καὶ νοσέει· (ἀναίνεται μάλιστα καὶ ἀπὸ λαγνείης·) τάδε οὖν πάσχει. ὀδύνη ὀξείη ἐμπίπτει αὐτῷ ἐς τὴν κεφαλὴν, καὶ ἐς τὸν τράχηλον, καὶ ἐς τὴν ὀσφὺν, καὶ ἐς τοὺς μῦας τῆς ὀσφύος, καὶ ἐς τὰ ἄρθρα τῶν σκελέων, ὥστε ἐνίοτε οὐ δύναται ξυγκάμπτειν, καὶ ἡ κόπρος οὐ διαχωρέει, ἀλλ' ἵσταται. καὶ δυσουρέεται. οὗτος κατ' ἀρχὰς μὲν τῆς νόσου ἡσυχαίτερον διάγει. ὁκόσα δ' ἂν ὁ χρόνος τῇ νούσῳ ἀπομηκύνηται, πονέει ἅπαντα μᾶλλον· καὶ τὰ σκέλεα οἰδέει, ὡς ἀπὸ ὕδερου, καὶ ἕλκεα ἐκφυνδάνει ἀπὸ τῆς ὀσφύος· καὶ τὰ μὲν ἄλλα ὑγιαίνεται, τὰ δὲ ἄλλα παραφύεται. *Reſiccatur medulla ſpinalis maxime, cum venulae ad medullam tendentes fuerint obduratae, itemque ex cerebro acceſſus. Propter corporis autem afflictionem haec patitur et aegrotat. (Reſiccatur etiam a venere.) Haec igitur patitur. Dolor acutus incidit ipſi in caput, et in collum, et in lumbos, et in lumborum muſculos, et in articulos crurum, vt aliquando flectere non poſſit. Et ſtercus non ſecedit, ſed ſiſtitur. Et vrinae difficultate vexatur. Hic in principio quidem morbi quietius degit. Quanto autem magis tempus morbo prolongatur, tanto magis omnia dolet. Et crura velut ab aqua inter cutem tument, et vlcera a lumbis emergunt, et alia quidem ſaneſcunt, alia vero naſcuntur.*

Accommodata ſatis haec deſcriptio eſt *rachitidi*, etſi (fatebor enim) non tam perfecta, nihil vt eo tempore, quo in Anglia ceteriſque regionibus ſaeuire atque in dies latius ſerpere inciperet, et multi-

multitudine ſignorum, et cauſſarum inueſtigatione addi potuiſſe videatur; id quod certe ſumma in veteres eſſet iniuria. Inſunt enim haec, quae HIPPOCRATES commemoranda cenſuit, omnino omnia in hoc infantili morbo, *capitis et colli vitia, lumborum articulorumque imbecillitas, vt vix ac ne vix quidem flecti poſſint; glandularum abdominis laeſio,* quam adiecta vocula, *ὀδύνη ἐς τὴν ὀσφὺν*, ab *μυῶν τῆς ὀσφύος* ſtudio deditaque opera ſeiunxit: *inſtrumenta digeſtionis infirma*, quae verbis his, *καὶ κόπρος ȣ̓ διαχωρέει, ἀλλ' ἵςαται*, continentur; *tumor pedum ὡς ἀπὸ ὕδερȣ* cet. Quae quam bene rachitidi conueniant, cum maxime hinc eluceſcit, quod vterque morbus haud raro tabe quadam finiatur, adeoque HIPPOCRATES a ſigno principe, quod per, *ἀναίνεται ὁ μυελὸς*, exprimitur, et plerumque poſt mortem ſimul in infantili corpore inuenitur, hoc valitudinis aduerſae genus appellaſſe cenſendus ſit. Neque in iis voculis: Ἀναίνεται μάλιςα καὶ ἀπὸ λαγνείης, eſt aliquid remorae aut dubitationis poſitum. Sunt enim hae aut vncinis ſuis ſepiendae ſic, vt, tanquam per ſimilitudinem morbi exemplique loco, addita videantur, tabem nimirum hanc etiam a nimio veneris vſu in adultis hominibus oriri poſſe, aut potius, niſi me omnia fallunt, hic aliena ſunt, praeſertim cum paullo ante varias tabis ſpecies recenſuiſſet, atque in hac maxime multus fuiſſet, HIPPOCRATES, cui *νεογάμȣς* et *φιλολάγνȣς* [e]) obnoxios eſſe dixerat.

Animus

e) L. Morb. Mulier. II. §. 49. p. 75. T. II. ed. *Lind.*

Animus eſt, hic omnem ſignorum congeriem, quam olim IO. MAYOVIVS f) in ipſis mali huius incunabulis collegerat, diligenter adſcribere, vt, quantum ille ab HIPPOCRATE, et hic iterum a recentioribus recedat, facillimo intelligatur negotio. *Proportio partium*, inquit MAYOVIVS, *irregularis eſt; Caput nempe iuſto maius; facies habitior; ingenium, quam pro aetate, acutius; membra externa, praeſertim muſculoſa, gracilia et extenuata: cutis laxa et flaccida: Oſſa, quoad maximam partem, incuruata, et quae circa articulos ſunt, prominentia et nodoſa. Spina etiam varie inflectitur: Pectus anguſtum eſt, ſternum vero acuminatum; Coſtarum extremitates nodoſae: abdomen ſubtumidum et tenſum. Haec exterius obſeruantur. Interius autem cernitur hepar iuſto maius, vti etiam parenchymata fere omnia: Ventriculus et inteſtina in maiorem, quam in ſanis, molem adſurgunt: Meſenterium glandulis iuſto maioribus, ſi non ſtrumis, afficitur. Haec in abdomine. In thorace pulmones infarcti et tumidi cernuntur, iidemque nonnunquam purulenti, ſtrumoſi, et pleurae ſaepiſſime adnaſcentes. Iugulares venae et carotides arteriae iuſta proportione ampliores nonnumquam reperiuntur; cerebrum autem non, niſi proportione et mole peccat. His denique accedit partium fere omnium eneruatio, item torpor quidam, et laboris exercitiique impatientia. Neque enim pueruli, niſi ſedentes, ludere poſſunt, et vix pedibus inſiſtunt, et tandem in morbi progreſſu a debili collo vix ſuſtineri poteſt capitis onus* cet. Conſentit cum

f) L. cit. Cf. *Sydenham* Proceſſ. Integr. p. 521. T. I. ed. *Gen.* et *Vogel* Praelect. Academ. p. 549. qui hoc malum pro quadam ἀτροφίας habet.

cum hac MAYOVII imagine mirifice STRACKIVS g), qui id genus cadauera omni adhibita diligentia et accuratione insecuit, atque suas exinde repetiit descriptiones.

Rachitis vero haec, an prorsum idem ille morbus sit, qui apud HIPPOCRATEM h) ἀνάντη dicitur, vt SPONIO i) visum est, iudicare equidem non ausim, siquidem eum supra ob maiorem signorum similitudinem pro quadam mali hypochondriaci specie habendum esse duximus. Si quis vero hoc in loco eundem sibi videre videatur, quia commemorantur *frequens desidendi cupiditas*, *crurum debilitas*, *marcor* cet. temere repugnare animus non est, modo ea, quae antecesserant, verba legerit attentius, atque cum rachitide rite compararit.

VII.

VARIA CVTIS VITIA ET ERVPTIONVM GENERA.

Ἐκζέματα, *Pruritus*, Ἐπινυκτίδες, *Papulae et Pustulae*, *Vitiligo*, *Alphus*, *Leuce*, *Lepra Iudaeorum*, *Psora seu Scabies*, *Lichenes*, *Lepra Graecorum et Elephantiasis*, *Lepra Arabum*, *Elephantia Arabum.*

Multa olim disceptatio, cum lues gallica, horrendum, quanta cum saeuitia et crudelitate per omnes Europae partes vagaretur, medicorum longe doctissimorum animos tenuit, vtrum eiusdem, cuius *lepra et elephantiasis*, naturae indolisque esset, nec ne. In quam contrariam sententiam qua ratione

g) Acta Phil. Med. Hassiac. p. 159.
h) L. De Morb. II. §. 64. p. 88. T. II. ed. *Lind.*
i) Comment. in Aph. *Hipp.* Sect. III. §. 71. p. 179.

tione quibusue argumentis idoneis compulſi potuerint ire pedibus, prorſum non video, ſiquidem ſignorum facies mirifice diſcrepat, eumque errorem iam NIC. LEONICENVS [a]), IAC. CATANEVS [b]), HIER. FRACASTORIVS [c]), aliique multi bene maximaque cum doctrinae copia refellendum diluendumque exiſtimarunt. Id vnum tamen relinqui apud multos et veteres, et recentiores video, vt, quoties ad *varia cutis vitia* acceſſerint, nominum multitudine quaſi obruantur, ac in iſto vocabulorum lubrico huc illuc agitati neſciant, qua demum via et ratione ſint iſti ſcopuli praeteruehendi, ne quid exinde detrimenti capiant.

Magna eſt (fatebor enim) vocularum copia, quibus graeci medici ad id genus vitia ſignificanda vti ſolent, ſuntque, GALENO [d]) duce, *λέπρη, ψῶρα, κνησμὸς, ἄλφος λευκὸς, ἄλφος μέλας, λεύκη, λειχὴν ἁπλȣ̃ς, λειχὴν ἄγριος*, nec non *ἐκζέματα, ἐπινυκτίδες, φλυκταίναι, ἐλεφαντίασις* cet. Apud Latinos vero vocantur *vitiligines, impetigines, papulae, puſtulae, eruptiones, maculae* cet. incredibilisque haud raro fit nominum permutatio, vnde non potuerunt non maximae diſputationes ac rixae gigni.

Naſcuntur vero eruptiones iſtae omnes, eodem GALENO [e]) teſte, *ex ſolidarum partium vitio,*

 ſic,

a) De Morb. Gall. p. 15. T. I. Coll. *Luiſin.*
b) L. cit. c. 3. p. 127. ſequ.
c) De Morb. Contagioſ. c. 13. p. 128. ed. *Ven.*
d) Introduct. c. 18. p. 393. T. II. ed. *Chart.*
e) Comment. in *Hipp.* L. De Aliment. III. Text. 29. p. 276. T. VI.

ſic, vt etiam communi nomine, *ὄγκοι περὶ τοῖς σώμασιν*, comprehenderentur. Hinc ſi quid eſt in nobis ingenii atque virium, iam in eo verſabimur vnice, vt, praemiſſa ſingularum vocum notione propria, et mali, quod exprimunt, natura breuiter explicata, veram tandem *elephantiaſis* ac *leprae* indolem demonſtremus. Quam bene reique appoſite, alii videant.

A) Ἐκζέματα, ἐπινυκτίδες, Φλυζάκιον.

Primus cutis morbus commemoratu dignus ille eſt, qui apud HIPPOCRATEM f) et AETIVM g) per ἐκζέματα aut ἵδρωα, apud PLINIVM h) vero per *ſudorum papulas* exprimitur: Isque fit, ſi *in toto corpore puſtulae* oriuntur *cum dolore ac ſine ſanie.* A CELSO i) iſtae referuntur ad ἐξανθήματα, communi *puſtularum* nomine comprehendenda. Sunt vero illae interdum latae k), et humoribus cuti infartis debentur, interdum exulcerantur ſimul, atque exprimunt, ni fallor AETII ψυδράκια, quae apud POLLVCEM l) πυρώδη ἐξανθήματα, αὐτόματα, ἑλκώδη ἐν ἐπιφανείᾳ, dicuntur, apud CELSVM autem propter coloris foeditatem humorisque acris profuſionem φλυκταίναι ἑλκώδεις ſunt. Neque abſimiles ſunt PAVLLI m) ἐπι-

f) Aph. 21. Sect. III. p. 80. T. I. ed. *Lind.*
g) Tetrabl. IV. Serm. I. c. 128. p. 675. Coll. *Steph.*
h) Hiſt. Nat. XXIII. 4.
i) De Medicin. V. 28. p. 336. ed. *Krauſ.*
k) *Paull.* IV. 8. p. 506. Coll. *Steph.* et ed. gr. *Baſil.* p. 136.
l) Onomaſt. IV. 25. n. 8. p. 219. ſequ.
m) L. cit. c. 9. pag. cit.

ἐπινυκτίδες siue *pustulae nocturnae*, nomine ab illo tempore, quo dolor maxime infestare solet, ducto. Dicuntur autem *vlcuscula sua sponte enascentia*, (ἑλκύδρια ἀπὸ ταυτομάτȣ ἐξανθȣ̃ντα) *bullarum instar*, (φλυκταινοειδῆ) *subrubicunda*, *ex quibus ruptis subcruenta sanies* (ἰχὼρ ὕφαιμος) *defluit*. CELSVS [n]) contra sub hoc *pustularum* nomine, tanquam genere, φλυζάκιον et ἐπινυκτίδα, tanquam speciem, attulit sic, vt prior sit *paullo durior pustula*, *subalbida*, *acuta*, *ex qua*, *quod exprimitur*, *humidum est*, posterior vero sit *pessima pustula*, *colore vel subliuida*, *vel subnigra*, *vel alba*, *cum vehementi inflammatione et exulceratione mucosa* cet.

PLINIVS [o]) ἐπινυκτίδας non tantum ob similitudinem ambustis adiungit, verum etiam eas explicat per *vlcus*, *quae et syce*, in *angulo oculi perpetuo humore manans*, in quo imitatus fuisse videtur HIPPOCRATEM [p]). *Quidam*, pergit ille, *eodem nomine appellant pustulas liuentes*, *ac noctibus inquietantes*, atque sic bene cum CELSO, GALENO [q]), AETIO [r]), PAVLLO [s]), reliquisque medicis convenit. Similiter ei alio loco [t]) eaedem sunt *epinyctides*, quae *pustulae*; easdem in societate *lentiginis*, *vlcerum manantium*, *vlcerum oris*, et *furfurum* [u]) adfert, illisque eorum sane medicamentorum ministerio,

n) L. et pag. cit.
o) Hist. Nat. XX. 6. Cf. *Oribas.* Synops. VII. 37. p. 116. Coll. *Steph.*
p) Epidem. III. Sect. III. p. 725. T. I. ed. *Lind.*
q) Method. Medend. II. 2.
r) L. cit. s) L. cit.
t) *Plin.* Hist. Nat. XX. 20.
u) Hist. Nat. XXIII. 8.

ſterio, quibus *lentigines*, *pterygia*, *paronychia*, *condylomata*, *tetra vlcera*, *ambuſta* v), percurantur, ſuccurri facile ac tuto poſſe auctor eſt.

Ex quo conficitur, omnia haec eruptionum genera, ſecundum veterum medicorum doctrinam, ex communi quadam cauſſa deducenda videri, communibusque quoque medicamentis perſananda, adeoque *epinyctides* apud PLINIVM w) ſine dubio eaedem ſunt, quas alio loco proprie per *papularum eruptiones* expreſſerat. Sed aliter, vt in rebus fieri ſolet coniecturalibus, FRANC. BOISSIER de SAVVAGES x).

B) Κνησμὸς *ſiue Pruritus.*

Alterum ἐξανθημάτων genus videtur *pruritus* (κνησμὸς) eſſe, qui, auctore PAVLLO a), aut a ſenectute oritur, isque nec perfecte ſanabilis, aut a prauis humoribus, atque hinc adducuntur apud DIOSCORIDEM b) κνησμώδη ἐξανθήματα, et apud HIPPOCRATEM c) magnum κνησμώδεα σώματα. Eſt vero ille, quantum ex veterum medicorum ſcriptis patet, vel per totum corpus diffuſus

v) L. XXIII. 9.
w) Hiſt. Nat. XXIII. 9.
x) Noſol. Method. P. II. p. 20.
a) De Re Med. IV. 4. p. 504. Coll. *Steph.* Cf. *Hipp.* Epid. I. Sect. III. p. 670. T. I. ed. *Lind.*
b) Parabil. I. 124. p. 32. ed. *Sarac.* vbi ille pruritus etiam dicitur ſingula corporis loca occupare; Ibidem enim adduxit τὰς περὶ τὰ αἰδοῖα κνησμὰς. Cf. *Oribaſ.* Morb. Cur. III. 22. p. 626. et *Aretaeus*, (De Sign. et Cauſſ. Diut. Morb. I. 16. p. 47. ed. *Boerh.*) apud quem κνησμώδεας appellantur, qui ex malo corporis habitu laborant.
c) Coac. Praenot. p. 565. T. I.

diffuſus d), vel vehementior aegreque tolerabilis, nec domandus vlla ratione; modo pruritui adiunctus eſt calor feruidus et cutis ſiccitas, modo veram ſcabiei naturam induit, cuius praecipua cauſſa in pilis, iisque radendis, latuiſſe fertur.

Praeclare hinc ſua iam aetate THEOPHRASTVS e) ſcripſit: Πολλάκις διὰ τὴν ἁλμυρίδα τὴν ἀπὸ τῦ ἱδρῶτος γινομένην ἐρεθισμῷ τινι κνησμώδει, καὶ ἐπάρσεις τινὲς ἰονθώδεις γίνονται. *Saepe fit, vt propter ſudoris ſalſuginem pruritu quodam eruptiones oriantur varis ſimiles.* Similiter, CAELIO f) AVRELIANO teſte, in auriginis ſignis *pruritus* eſt, *et ariditas corporis, et velut exuſtione ſolis aſpera cutis ſuperficies*: Id quod paullo poſt ſimpliciter per *pruritus*, exprimit, quocum mirifice conſenſit olim MACER g), poeta recentior, cum hiſce verbis:

Pruritus mordax ſcabiesque cutis laceratrix,

magnam illorum cutis vitiorum ſimilitudinem ac coniunctionem adumbratam vellet.

Qui pruritus cum facile, vt ſupra vidimus, in ſcabiem, ceteraque cutis mala tranſeat, omniaque fere medicamenta, quorum vſus vt in hoc morbo, ita

d) *Aëtius* Tetrabl. IV. Serm. I. c. 126. p. 671. Coll. *Steph.*

e) L. De Sudorib. p. 457. ed. *Heinſ.* Cf. *Serapion* Practic. Tr. V. 4. p. 540. ed. *Iunt.* 1550.

f) Morb. Diut. III. 5. p. 456. ed. *Amman.* At Morb. Diut. IV. 2. p. 497. in phthiriaſi explicanda voc. *pruritus corporis*, vſus eſt.

g) De Virib. Herb. v. *Paratella* ſ. *Lapathum* v. 8. p. 89. b. ed. *Io. Atrociani.* 1530.

ita etiam prae ceteris in elephantiasi, vitiligine, impetigine, maximi momenti est, hic iterum ab ARCHIGENE atque PAVLLO commendentur; consequitur, prima morborum cutis stamina sine dubio ab hoc pruritu, tanquam fonte peremni, videri repetenda.

C) *Papulae*, *Pustulae*.

Similis ratio *papularum* et *pustularum* est, quas a se inuicem distinxisse putandus CELSVS [a]) est, etsi iterum aliter SENECA [aa]). Nam quantum equidem ex descriptione colligere mihi videor, sine dubio *papulae* eius ἕρπης sunt, cuius GALENVS apud AETIVM [b]) meminit. Oritur illud vitium, cum superficies cutis aut humore acri quasi tantum, exasperatur, rubet et roditur, quae certe leuior mali forma est; aut etiam proserpendo altius malignitate sua carnes exedit, vnde noua fit species [c]); aut denique *pustulae multae et paruae, milioque similes in cutis superficie gignuntur*, et tunc ἕρπης κεγχρώδης dicitur, cui οἱ ἐκ τῶν ἐπινυκτίδων ἕρπητες apud HIPPOCRATEM perfecte respondent. Prima certe specie quam CELSVS com-

a) De Medicin. V. 28. n. 15. p. 336. ed. *Krauf.* vbi de *pustulis*, et n. 18. p. 340. vbi de *papulis* sermo est.

aa) De Vita Beat. c. 27. p. 369. T. I. et Epist. 72. p. 233. T. II. ed. *Lips.* Cf. *Sauuagesius* L. cit. p. 16. vbi etiam *papulae* et *pustulae differre* dicuntur, nec non reliqua cutis ἐξανθήματα sedulo explicantur.

b) Tetrabl. IV. Serm. II. c. 63. p. 729. Coll. *Steph.*

c) *Galen.* l. c. et L. De Tumorib. c. 9. p. 318. T. VII: Method. Medend. ad *Glaucon.* II. 1. p. 368. T. X. ed. *Chart.*: Cf. *Oribas.* Morb. Curat. III. 49. p. 635. Coll. *Steph.* vbi et reliquae herpetis species referuntur.

commemorat, tertia ſimul ſpecies GALENI contineri videtur, media vero ipſa ἄγρια vocatur. Sed audiamus, quaeſo, hac de re CELSVM ipſum, vt, quam potiſſimum viam ſequatur, lector videat. *Papularum*, inquit, *duo genera ſunt. Altera eſt, in qua per minimas puſtulas cutis exaſperatur, et rubet, leuiterque roditur, medium habet pauxillo laeuius: tarde ſerpit. Idque vitium maxime rotundum incipit, eademque ratione in orbem procedit. Altera autem eſt, quam ἀγρίαν, id eſt, feram, Graeci appellant. In qua ſimiliter quidem, ſed magis cutis exaſperatur exulceraturque, ac vehementius et roditur, et rubet, interdum etiam pilos remittit.* At vero AETIVS d) *papulas* dixit *iis ſimiles, quae a feruida aqua ambuſtis emergunt, non tamen multum dolorem inducentes. Quibus ruptis*, pergit ille, *ſubflaui humoris copia paullatim effluit, ad biduum aliquando ac triduum durans. Hae feminis, quibus menſtrua defecerunt, aut alias non recte profluunt, ſaepe in cruribus oriri ſolent; infantibus vero aliquando in toto corpore, verum viris rariſſime accidunt.*

Ex quo ſatis eluceſcit, cum iisdem papulis etiam ceteri homines, maximeque mulieres, quae ſuccis prauis laborant, ſint obnoxiae, idque ſine vlla febre, perperam profecto feciſſe HAHNIVM, qui exinde variolas exiſtimauit deducendas, ſiquidem alio loco AETIVS e) infantum papulas ab his ſedulo ſeiungendas curauit.

Accedit, quod Romani promiſcue puſtulis et papulis vſi fuiſſe videntur, nulla certe habita diſcri-

d) L. cit. e) Tetrabl. IV. Serm. I. c. 129. p. 675.

minis ratione. PLINIVS [f]) enim τὰς ἐπινυκτίδας per *pustulas* explicandas censuit, similiterque alio loco [g]) adduxit *ab leni tantum vrticae tactu pruritum pustulasque adusto similes*, *in ambustis ex vino pustulas* [h]), *vlcera*, *pustulas*, *et fluxiones sanguinis*, *pustulas capitis*, *ad pustulas et igni sacro* [i]), *ad eruptiones pustularum* [k]), *capitis vlcera*, *pustulas papulasque* [l]), *papulas* [m]) *et lentigines*, *papulas pruritusque* [n]), *capitis vlcera*, *et pustulas papulasque* [o]) cet. Ad has vero vlceratas papularum pustularumque eruptiones persanandas eadem, quibus obuiam eundum psorae est, remedia et commendantur, et adhibentur a veteribus medicis, adeoque facile ad perspiciendum est, quomodo haec omnia ad varias auctorum dissensiones auferendas sint accommodanda.

D) *Vitiligo*, Ἄλφος, Λεύκη, *Lepra Iudaeorum*.

Noua cutis labes est, quae a Latinis *vitiligo* dicitur, a Graecis vero ἄλφος et λεύκη. Sed hac in re, incredibile, quantum a se inuicem auctores dissentiant. Apud HIPPOCRATEM [p]) enim λειχῆνες, λέπραι, λεῦκαι, coniunguntur, ita tamen, vt *leucae* sint ex morbis quam maxime mortiferis, reliqua vero ex atra bile deducantur.

f) Hist. Nat. XX. 20.
g) L. cit. c. 26.
h) L. XXXI. 11.
i) L. XXII. 25.
k) L. XXIII. 9.
l) L. XXXI. 10.
m) L. XX. 20.
n) L. XXII. 25: L. XXIII. 8: L. XXXV. 15.
o) L. XXXI. 11.
p) Praedict. II. §. 49. p. 521. T. I. ed. *Lind.*

cantur. Alio vero loco pp) λέπρη, καὶ κνησμὸς, καὶ ψώρη, καὶ λειχῆνες, καὶ ἄλφος, καὶ ἀλώπεκες, communiter a pituita repetuntur, et αἶσχος μᾶλλον, ἢ νουσήματα nominantur, quocum etiam CELSVS q) videtur consentire. *Vitiligo quoque*, inquit ille, *quamuis per se nullum periculum adfert, tamen foeda est, et ex malo corporis habitu fit.*

Sunt autem, eodem CELSO auctore, mali huius tres species, ἄλφος, μέλας, λεύκη, estque haec omnium grauissima, a qua sententia nec PAVLLVS r) abhorruit. At vero apud AETIVM s) ἄλφος eiusdem cum *leuce* et *lepra* speciei esse, et a veterum ἀλφαίνειν deductum dicitur, iterumque aliter GALENVS t), qui duas tantum adferendas duxerat vitiliginis formas *albam* et *nigram*, *leuce* seiuncta, quippe haec non, nisi colore albo, a quo nomen habet, vitiliginem albam longe superet, et aspritudine cutis inferior lepra sit.

Differunt

pp) L. De Affection. §. 34. p. 182. T. II. ed. *Lind.* Cf. L. De Morb. I. §. 3. p. 3. T. II. vbi λέπρα et λαχὴν in iis morbis, qui periculosi non sunt, commemorantur.
q) L. De Medicin. V. 28. n. 19. p. 341.
r) De Re Med. III. 6. p. 505. seq. et ed. *graec.* p. 56.
s) Tetrabl. IV. Serm. I. c. 132. p. 676. Coll. *Steph.*
t) Introduct. c. 13. p. 387. T. II. Cf. L. De Sympt. Causs. III. 4. p. 90. T. VII. ed. *Chart.* Similiter *Plinius* (Hist. Nat. XXXI. 10.) meminit *vitiliginis albae*, alio vero loco, (L. XXII. 25.) *nigrae*, eaque omnes sic adsociantur lepris, vt, si reliqua curatius omnique adhibita diligentia perlegeris, et cum maxime remedia, eas omnino omnes ad scabiem, tanquam genus, referri facile videas. Apud *Serapionem* (Practic. Tract. V. c. 5. p. 54. ed. *Iunt.*) dicitur *Morphaea alba* et *nigra*, similisque Arabum omnium in explicando ratio est. Cf. *Roland.* Med. Rat. L. I. 48. p. 260. ad calc. *Opp. Albucas.*

Differunt autem re ipsa ἄλφος et λεύκη non, nisi colore ac gradu, vt ex POLLVCE u) patet, vocaturque ἄλφος, teste CELSO, *vbi color albus est fere subasper, et non continuus, vt quaedam quasi guttae dispersae esse videantur. Interdum etiam latius,* pergit ille, *et cum quibusdam intermissionibus serpit.* Μέλας, *colore ab hoc differt, quia niger est, et vmbrae similis, cetera eadem sunt.* Λεύκη *habet quiddam simile alpho, sed magis albida est, et altius descendit; in eaque albi pili sunt, et lanugini similes. Omnia haec serpunt: Sed in aliis celerius, in aliis tardius. Alphos et Melas in quibusdam variis temporibus et oriuntur, et desinunt. Leuce, quem occupauit, non facile dimittit.*

Est porro ἄλφος aut recens, aut inueteratus, adspectu et tactu asper, λεύκη vero profundius serpit, et pilos etiam colore albo ac glabritie inficit. Immo vero secundum ORIBASIVM v) *alphorum similis, vt leuce, origo est,* eiusdemque cum lepra et scabie naturae cet. Sed quicquid tandem hoc in argumento dissensionis apud auctores veteres

u) Onomastic. IV. 25. n. 3. p. 219. Cf. *Hesychium* (Lexic. p. 595.) vbi λευκή dicitur ἄνθός τι τῶν περὶ τὸ σῶμα γινόμενον, ἄλφος vero λευκή τις ἐν τῷ σώματι. Similiter *Dioscorides* (Parabil. I. 118. p. 30. ed. *Sarac.*) ἀλφὰς λευκὰς et λεύκας a se inuicem distinguit, et c. 119. p. 31. μέλανας ἀλφὰς habet. Huc etiam respexisse censendus est *Mart.* Ἀκακίας, (Comment. in *Gal.* Art. Parv. p. 270. et p. 367.) cum ex varia succorum labe atque acrimonia nasci perhiberet aut *vitiligines nigras et albas*, aut *pruritum, psoram, et lepram*, aut denique *elephantem.* Cf. si placet, de omnibus hisce cutis vitiis *Sauuagesium* Nosolog. Method. P. II. p. 9. sequ.

v) Synops. VII. 48. p. 117. Coll. *Steph.*

res ſit, peccaſſe tamen nullo modo videbimur, ſi partim ob horum morborum ac leprae ſocietatem, partim ob cauſſarum ſimilitudinem, quae vbique *viſcidus, pituitoſus, lentus humor* eſt, partim denique ob remediorum conuenientiam, quibus et huic cutis labi, et pſorae ac leprae occurri debuit, vt CRITO apud GALENVM [w]) voluit, in certiſſimam ingredimur ſententiam, fuiſſe apud veteres medicos cuncta haec cutis vitia leprae quaſi praecurſores: Quae ſi pertinaciores eſſent, eadem, qua lepra et elephantiaſis, ratione, iisdemque medicamentis auferenda videbantur. Hinc forte, ni fallor, factum eſt, vt CARTHEVSERVS [x]) V. Cl. has vitiliginis formas communi *leprae maculóſae* nomine comprehenderet.

Reſtat, vt paucis de *lepra Iudaeorum* videamus. Varii varie hoc de morbo iudicant. Alii enim, vt PETR. ROQVIVS [xx]), eam cum *tertia vitiliginis ſpecie* CELSI conuenire ſtatuunt; alii, vt SPENCERVS [y]) eandem cum Arabica eſſe; alii, vt magnus LVTHERVS [yy]), non multum a ſcabie mala differre putant; Alii, vt TOVRNEFORTIVS, contendunt, *lepram in oriente ſpeciem eſſe luis venereae*, id quod vehementer miror, cum ſigna vtriusque mali tantopere a ſe diſſideant; alii denique aliter,

w) L. Compoſ. Medicam. Sec. Loc. I. 3. p. 342. T. XIII. ed. *Chart.*

x) De Morb. Endem. p. 271. Cf. ſi placet, *Foëſius* Oecon. *Hipp.* p. 35. et 382.

xx) Comment. *Saurini* in Vet. Teſt. T. II. p. 354.

y) De Legib. Ebraeor. p. 186.

yy) Comm. ad Leuitic. XIII, 4.

ter, vt in re dubia et hac noſtra aetate coniecturali fieri ſolet, beneque nuper demonſtrauit IO. SIM. LINDINGER[z]) V. Cl. ſic, vt tandem hanc *fuiſſe ſpeciem leprae adhuc nobis ignotam* coniectaret. Sed, pace tantorum virorum, nobis non ita videtur. Etenim *lepram* MOSES[zz]) legislator ſic deſcripſit, vt *leucae Graecorum* prorſus conueniat: Deinde illud morbi genus, quod *Chriſtus*, diuinus hominum ſoſpitator, plurimis in aegris perſanaſſe dicitur, ARNOBIVS[a]) per *vitiligines* expreſſit: Denique MANETHON apud AELIANVM[aa]) ex lactis ſuilli eſu *alphos et lepras* naſci auctor eſt, atque animalis huius caro quam interdicta Iudaeis fuerit, conſtat inter omnes. Hinc non poſſum non ab Ill. CARTHEVSERI[b]) ſtare partibus, qui hanc *Iudaeorum lepram* pro *vitiligine alba maligna* ſ. *Leuce* habendam eſſe cenſuit. Vide vero hoc de morbi genere, ſi placet, THOM. BARTHOLINVM,

z) De Ebraeor. Vet. Arte Medica, P. I. §. 13. ſequ.

zz) Leuitic. c. 13. ſequ. p. 116. ed. *germ. Hal.* At vero verſ. graec. l. cit. c. cit. p. 172. ſequ. ed. *Reinecc.* identidem occurrunt voc. λέπρα, λευκὴ, ἄλφος, λέπρα ἐξανθοῦσα, λέπρα τῆς κεφαλῆς καὶ τοῦ πώγωνος, θρὶξ λευκὴ ἐν τῷ δέρματι, λέπρα παλαιουμένη, οὐλὴ λευκαίνουσα, πυῤῥίζουσα, θρὶξ μέλαινα cet. adeoque de vera leprae Iudaeorum et leucae conuenientia dubitaturum amplius puto neminem.

a) Aduerſ. Gentil. L. I. p. 28. ed. *Lugd.* 1651. Conſentit vero mirifice *Hier. Mercurial.* Var. Lect. III. 18. p. 75.

aa) Hiſt. Animal. X. 16. p. 214. ed. *Geſn.* Cf. *Plutarch.* Sympoſ. IV. Qu. 5. p. 175: *Tacit.* Hiſt. V. 4: *Cunaeus* De Rep. Ebraeor. II. 24. p. 368. maximeque omnium Rabbi *Bechai* ap. *Lindinger.* l. c. p. 27. *qui in libris quibusdam medicis ſe legere meminit, infantem, ſi lac ſuillum ſugat, lepra oppleri.*

b) De Morb. Endem. §. 5. p. 273.

NVM, RICH. MEADIVM, REINHARTVM, medicum Saganensem cet. quippe hi, cum morbos biblicos percenserent, mali huius foedissimi atque horrendi simul meminerunt.

E) *Psora.*

Reliquum est, vt, quid apud veteres *psora* sit, videamus, cuius vis atque saeuitia interdum tanta est, vt omnem medici vim et artem eludat, adeoque in eos illud poetae multi transferant:

Ἄλλων ἰατρὸς, ἄυτος ἕλκεσι βρύων.
Aliis medens, at ipse vlceribus scatens.

Fuit vero psora cum pustulis, si quidem apud PHAVORINVM [a]) et HESYCHIVM [b]) φύμα per ψώρα ἢ ἕτερον φύμα explicatur, idque παρὰ τὸ ἅπτεσθαι καὶ κνήθειν τὰ πεπονθότα μέρη τοῦ σώματος, apud GALENVM [c]) autem vocatur ἑλκωδεστέρα, quam in lepra fieri solet. Similis eius apud latinos significatio est. SENECA [d]) enim hanc Graecorum *psoram* per *foedam corporum scabiem* explicat, in eaque simul, eodem auctore, *delectat, quicquid exasperat*, id quod paullo ante per, *vlcera quaedam manus nocituras appetunt et tactu gaudent*, ad viuum profecto expresserat. Alio autem loco [e]) *scabiem*, *vitiligem* et *foedam ex albo varietatem* a se inuicem disiungenda existimauit. Neque absimi-

a) Lexicon. p. 1858. et p. 1878.
b) L. cit. p. 961. ed. *Schreuel.*
c) Introduct. c. 13. p. 387. T. II. ed. *Chart.*
d) L. Tranquillit. Anim. c. 2. p. 219. T. I. ed. *Lips.*
e) Quaest. Natural. III. 25. p. 674. T. II.

absimiliter PLINIVS, magnus profecto vir, et in istis verborum significationibus auctoritatis haud contemnendae. Interdum enim occurrit simpliciter *scabies et prurigo hominum quadrupedumque* f), interdum vero fit naturalis quaedam quasi eorum morborum, qui cutim infestant, et remediorum colligatio atque coniunctio. Hinc legas illa verba, *ad alopecias et psoras* g), *pruritus et psorae* h), *caustica ad psoras*, *et lepras et lentigines* i), *ad lepras*, *furunculos*, *lichenas et psoras* k) cet. Similiter huc pertinent, ni fallor, *furfures corporis* l), *furfures ex facie* m), *furfures cutis* n) rel. quos sine dubio pro scabie et psora ipsa posuit, praesertim cum hi furfures fidissimi quasi sint cutis vlceratae comites atque pedissequi, eodemque modo alias o) per *impetigines* quascunque cutis turpitudines iam particulatim enumeratas expresserat.

Dicitur vero hoc mali genus apud AETIVM p) *psora asperior*, *inueterata*, *diuturna*; *quae in callum indurescit*, *hincque magis exacerbatur*; Interdum exulceratur, et tunc demum apud POLLVCEM q), ψώρα ἑλκώδης, ὑπέρυθρος, ἐξανθήσεις ἔχουσα ἐν αὐτῇ, sine dubio nominatur. Quae quia simul cum pruritu ac dolore magno est, videtur nobis et illis respondere, quas AETIVS *psoras sanie fluen-*

f) Hist. Nat. XXIII. 1.
g) L. XX. 5.
h) L. XXIII. 1.
i) L. XXX. 4.
k) L. XXXI. 11.
l) L. XXII. 25.
m) L. XXIII. 8 et 9.
n) L. XXIV. 7. et iterum L. XXVIII. 12.
o) Hist. Nat. XXII. 25.
p) Tetrabl. IV. Serm. I. c. 126. p. 672. seq. Coll. Steph.
q) Onomastic. IV. 25. n. 3. p. 219.

fluentes et foetidas dixerat, et cum *vlceratis atque feruidis in furis eruptionibus* apud ORIBASIVM[r]) quodam modo conuenire. Nam eaedem pforae haud raro etiam crura occupant, cum maxime fi inueterarint, et a genubus vfque ad pedum digitos protenduntur fic, vt elephantiacorum corporibus non abfimiles fint. Hinc forfitan *gemurfae* PLINII[s]) refpondet illud cutis vitium, quod, eodem auctore, *inter digitos pedum nafcebatur.*

Huc etiam, ni fallor, pertinent remedia, quae a prifcis medicis fimul *ad pforas aegre fanabiles et elephantiafis principium, ad pforas in callum obduratas et ad leprofas difpofitiones, ad pruritum et pforas, ad fcabiofos pruritus*, cet. commendantur. Quibus fi id adiunxeris, quod GALENVS[t]) *leprae, fcabiei* ac *elephantiafis* ortum fimiliter ex humore melancholico deducat; porro quod idem curationis genus, quo in pfora debellanda vfi funt veteres, in leuce, vlceribus capitis, herpete, tuberculis, et cum maxime *in lichenibus humentibus, pinguibus, tumentibus, ac multo humore manantibus*, hic etiam locum habuerit, ecquod mirum, fi exinde et horum omnium

r) Apud *Aët.* l. cit. p. 674.

s) Hift. Nat. XXVI. 1. Aliter de *gemurfa* cenfuit Illuftr. *Trillerus* in Additament. ad Diff. De Vefpert. Morb. Cur. Div. §. 17. p. 264. fequ. T. III. demonftrauitque more fuo i. e. docte ac pereleganter, hunc morbum prorfus cum Talmudiftarum *Gumretha* conuenire, quae legiffe puto poenitebit neminem. Cf. *Moegling* Diff. fub *El. Camerarii* praef. habita *Tubing.* 1727. *De Gemurfa Pliniana claui pedis maligniori fpecie* cet.

t) Comment. in *Hipp.* L. De Humor. III. Text. 20. p. 574. T. VIII. ed. *Chart.*

omnium vitiorum ſimilitudinem communemque naturam intelligas, et gradu tantum illa ſine vllo erroris metu exiſtimes a ſe inuicem abhorrere. Adeas, ſi placet, FRANG. BOISSIER de SAVVAGES u), quo duce atque magiſtro mali huius turpitudinem perſpexiſſe poenitebit, puto, neminem.

F) *Lichenes.*

Alius cutis morbus λειχῆνες ſunt, et apud CELSVM a) ſine dubio *impetigo* nominantur, etſi audacter adfirmat HIER. MERCVRIALIS b), hos CELSI eſſe ſcabiem. Aliter enim ſenſit DAN. SENNERTVS c) cui CELSI impetigo videtur lepra Graecorum eſſe, PLINII contra impetigo cum lichene conuenire. Sed quo iure ita MERCVRIALIS ſtatuerit, prorſus non video.

Primum enim diſerte ſcabies illa apud CELSVM ſegregatur ab impetigine, quoniam, ORIBASIO d) teſte, hae facile *in lepram et ſcabiem tranſeunt*, atque quaedam lichenum ſpecies ἄγρια dicitur. Hinc forte fit, vt apud GALENVM e) λειχὴν

u) Noſolog. Method. T. III. P. II. p. 462. et *Foëſius* Oecon. *Hipp.* p. 691.

a) L. De Medicina V. 28. n. 17. p. 339. ed. *Krauſ.* Similiter *Foëſius* l. cit. p. 379. Ap. *Martial.* vero hiſce verbis:

Non vlcus acre puſtulaeue lucentes,
Nec triſte mentum ſordidiue lichenes.

b) De Cutan. Morb. II. 6. p. 188.

c) Medic. Practic. V. P. I. c. 28. p. 133. et c. 30. p. 139.

d) Synopſ. VII. 49. p. 117. Coll. *Steph.*

e) Introduct. c. 18. p. 393. et c. 13. p. 386. T. II. Cf. in *Hipp.* L. De Aliment. Comm. III. Text. 29. p. 277. T. VI. ed. *Chart.*

λειχὴν ἁπλῶς et ἄγριος occurrant. Immo vero CELSVS hanc *minime malam* cenſuit, *quae ſimilitudine ſcabiem repraeſentat. Diſtat vero*, pergit ille, *ab ea, quia magis exulcerata eſt, et varis ſimiles puſtulas habet, videnturque eſſe in ea quaſi bullulae quaedam, ex quibus, interpoſito tempore, quaſi ſquamulae reſoluuntur, certioribusque haec temporibus reuertitur.* Qua ex re colligitur, hanc impetiginis formam potius papulis ſiue bullis, quas PAVLLVS f) commemorauit, videri conuenientiſſimam. Porro ſcabies CELSI ex pituita naſci perhibetur, atque cum ſanie ac vlceratione pruriente eſſe, PAVLLVS contra *lichenas ex acribus tenuibusque humoribus, admiſta pituita*, repetendos exiſtimat, eosque facile in lepram et ſcabiem tranſituros. Quicquid vero non, niſi certa quadam lege ac conditione adhibita in ſcabiem permutari ſolet, nondum profecto per ſe vera eſt ſcabies. Denique quidem (fateor) apud GALENVM atque PAVLLVM quaedam lichenum ſpecies eſt, quae ἄγρια dicitur, nec leuioribus cedit remediis, ab acrioribus vero exacerbatur; Sed reſpondet illa, ni fallor, potius quartae apud CELSVM impetiginis ſpeciei.

Huc accedit, quod ſcabies vulgaris tantum non ſemper, quantum apud veteres et recentiores medicos legere me memini, ſolam cutis ſuperficiem maximeque manus, laedere ſolet, at vero *haec omnia impetiginis genera*, CELSO teſte, *oriuntur in pedibus, et manibus, atque vngues quoque infeſtant*, idque ſine dubio haud raro tam immaniter, vt

f) De Re Medica IV. 10. p. 506. Coll. *Steph.*

DIOSCORIDES [g]) τὰς ἐκ λειχήνων οὐλὰς, earumque remedia referat. Lichenes praeterea, vt ex PAVLLO colligitur, interdum pueris infensi sunt, quippe hi prae ceteris propter acriorum succorum atque pituitae multitudinem variis papularum generibus patent, interdum vero hinc illinc per corporis superficiem vagantur, cutimque deturpant multipliciter, cum maxime *mentum;* id quod commemorarunt ARETAEVS [h]) atque ORIBASIVS [i]). Accedit, quod, GALENO [k]) auctore, cutis superficies, in *scabie, lepra et lichenibus* similiter *squamulis deturpatur*, id quod sine maxima horum morborum conuenientia dici non poterat. Ex his igitur, quae adhuc diximus, facile conficitur, impetigines et lichenas nullo modo a se inuicem differre, cunctaque ista cutis vitia dudum ante, quam Romanis innotescerent, Graecis infensa fuisse.

Sed in quamcunque aliam sententiam ingressus est PLINIVS [l]), cum *lichenas oris* siue *mentagram* describeret. Scio. At vero audiamus ipsum perorantem. *Sensit et facies hominum*, inquit, *nouos omnique aeuo priore incognitos, non Italiae modo, verum etiam vniuersae prope Europae, morbos: tunc quoque nec tota Italia, nec per Illyricum Galliasue, aut Hispa-*

g) Parabil. I. 115. p. 29. ed. *Sarac.*
h) De Sign. et Cauff. Diut. Morb. II. 13. p. 70. ed. *Boerh.*
i) Synopf. VII. 49. p. 118. et L. VIII. 35. p. 128. Cf. De Loc. Affect. Curat. ad *Eunap.* IV. 52. p. 652. Coll. *Steph.*
k) Comm. in *Hipp.* Aph. IV. Aph. 77. p. 188. T. IX. ed. *Chart.*
l) Hist. Nat. XXVI. 1.

Hiſpanias, magnopere vagatos, aut alibi, quam Romae circaque, ſine dolore quidem illos ac ſine pernicie vitae, ſed tanta foeditate, vt quaecunque mors praeferenda eſſet. Grauiſſimum ex his lichenas *appellauere graeco nomine, latine, quoniam a mento fere oriebatur, ioculari primum laſciuia, (vt eſt procax natura multorum in alienis miſeriis) mox et vſurpato vocabulo* mentagram, *occupantem in multis totos vtique vultus, oculis tantum immunibus, deſcendentem vero et in colla, pectusque ac manus, foedo cutis furfure. Non fuerat haec lues apud maiores patresque noſtros. Et primum Tiberii Claudii Caeſaris principatu medio irrepſit in Italiam, quodam Perſino equite Romano, Quaeſtorio ſcriba, cum in Aſia apparuiſſet, inde contagionem eius apportante. Nec ſenſere id malum feminae, aut ſeruitia, plebesque humiles, aut media, ſed proceres, veloci tranſitu, oſculi maxime, foediore multorum, qui perpeti medicinam tolerauerant, cicatrice, quam morbo. Cauſticis namque curabatur, ni vſque in oſſa corpus exuſtum eſſet, rebellante taedio. Adueneruntque ex Aegypto genitrice talium vitiorum medici, hanc ſolam operam adferentes, magna ſua praeda.* Hactenus PLINIVS.

Inſidiabatur (fateor) hoc morbi genus cum maxime formae pulcritudini, et hinc apud eundem auctorem leguntur *lichenes oris* m), adiunctis *puſtulis* n), ſimiliterque MARCELLVS o) *lichenem* per

m) Hiſt. Nat. XXVIII. 12.
n) L. XXXV. 17.
o) De Medicament. c. 19. p. 321. Coll. *Steph.* Cf. *Sennerti* Pract. Medic. L. V. P. I. c. 30. p. 139. qui vt has difficultates, quae ex auctorum diſſenſu naſci ſolent, feliciter tolleret, idque ſic, vt ne quid detrimenti exinde caperet

per *mentagram* explicat, quia hoc *vitium neglectum solet per totam faciem et per totum corpus serpere, et plures homines inquinare.* Caue tamen, ne quemvis

caperet res medica, duplicem lichenem fuiſſe perhibet; alterum, cuius graeci medici meminerunt, eumque leuiorem ac eundem cum impetigine; alterum vero, qui, *Claudio* imperante, innotuit, eumque eſſe λαχῆνα ἄγριον. *mentagram contagioſam, populariter graſſantem,* qui apud *Pollucem* (Onom. IV. 25. n. 3. p. 219.) τραχὺς, δυσιάτος, ἀνώμαλος appellatur. Sanxerat haec omnia, vt ipſe fatetur, *Plinii* (Hiſt. Nat. XX. 1 et 9: L. XXII. 25: L. XXIII. 7.) teſtimonio et auctoritate fretus. At vero ille primo loco *impetiginem* et *ſcabiem* per *pſoram* atque *lichenas* explicat; altero *furfures corporis, lichenes et leprae,* ac paulo poſt, *impetigines, pruritus, lentigines, vitiligines nigrae,* ac *leprae,* ſeorſim pertractantur; vltimo denique loco *leprae, pſorae, lichenes, lentigines* particulatim adferuntur. Neque id genus lichenum formas, vt *Sennerto* placuit, apud *Galenum* (Compoſ. Medicam. Sec. Loc. V. 3. ſeq. p. 470. T. XIII. ed. *Chart.*) aut apud *Plinium* legere me memini, adeoque non poſſum hac in re prorſum ei adſentire. Cf. ſi placet, reliqua *Plinii* loca, in quibus lichenes commemorantur, quaeque nos ſubſcripſimus, vt, an recte ſenſerimus, ceteri me longe oculatiores perſpicacioresque viri videant. Sunt vero haec.

L. XX. 7. *lepras, lichenas, lentigines.*

L. cit. c. 21. expreſſe adferuntur *lichenes et vlcera oris.*

L. XXII. 22. eadem ſunt remedia *ad alopecias, pſoras, lepras, phthiriaſes,* quas paulo poſt excipiunt *ſcabrae genae.*

L. XXIII. 2. occurrunt remedia *ad compeſcendos lichenas, furfuresque, lepras, et vlcera manantia.*

L. XXIV. 9. *lichenes et lentigines.*

L. XXVI. 4. *lichen* dic. *foedum malum.*

L. XXVIII. 4. dic. *lichenes et lepras ieiunae illitu adſiduo arceri.*

L. XXVIII. 12. in faciei vitiis expreſſe collocantur *lichenes oris,* ibidemque ſimiliter, *cicatricibus ac licheni, leprisque.*

L. XXX.

vis veterum medicorum locum, vbi *menti scabrities*, *ficosi faciei tumores*, *manantes menti papularum eruptiones*, *impetiginosi menti tumores*, cet. occurrunt, per lichenas hosce explices. Haud raro enim quaeuis alia vlcera hic exprimuntur, vt apud AETIVM p), atque GALENVM q), qui *ficosas menti papulas* *μενταγρας*, alii vero λειχῆνας ἀγρίους appellant.

Hinc hoc lichenum genus quidem nouum in Italia visum, sed reuera non fuit, siquidem diu ante apud Graecos exitiosum fuerat valitudini, vt ex HIPPOCRATE r), GALENO s), aliisque patet. Qua de caussa vehementer fallitur HIER. MERCVRIALIS t), si ex nominis mentione, apud

 veteres,

L. XXX. 4. in oris vitiis *lichenes* sunt, simulque paullo post eadem remedia commendantur *psoris*, *et lepris*, *et lentigini*.

L. XXXI. 9. haec occ. *Lepras*, *et furunculos*, *et lichenas*, *et psoras emendat*, quibus paullo post etiam *pruritus* additur.

L. XXXII. 7. coni. *lichenas* et *lepras*.

L. XXXV. 15. quaedam sulphuris species auferre dicuntur *lichenas a facie et lepras*.

L. cit. 17. coni. *lichenas* et *pustulas*. Similiterque *Crito Galenum* (Compos. Medicam. Sec. Loc. V. 3. p. 466. T. XIII.) πρὸς τὰς ἐπὶ τῶν γενείων λειχῆνας, adduxit remedia. Sed de *lichene equorum*, *qui in genubus ac super vngulas gignitur*, vide *Plin.* Hist. Nat. XXVIII. 11. et *Dioscoridem* L. De Re Med. II. 45. p. 99. ed. *Sarac.*

p) Tetrabl. II. Serm. IV. c. 14. sequ. p. 372. Coll. *Steph.*

q) Compos. Medic. Sec. Loc. V. 3. p. 471. T. XIII. ed. *Chart.*

r) Aph. 20. Sect. III. p. 80. T. I. ed. *Lind.* et passim aliis in locis.

s) L. cit. c. 7.

t) L. cit.

veteres, auctorumque de mali huius natura et loco, quem potissimum infestarat, dissensu sibi temere putauit repugnandum. Praeclare enim hac de re HIPPOCRATES u): Αἱ διαῖται ὅσον γνῶναι, μὴ ἐξειδῆσαι. ξυμφοραὶ γὰρ πολλαί· Ἀγαθοῖσι δὲ ἰητροῖσιν αἱ ὁμοιότητες πλάνας καὶ ἀπορίας. *Victus rationes, quantum fieri potest, cognoscendae. Nam non nosse, multarum calamitatum res est. Bonis autem medicis similitudines pariunt errores ac difficultates.*

Nullo vero modo lichenes abhorrent a psorae lepraeque natura, quippe haec omnia, auctore THEOPHRASTO ERESIO v), διὰ τὴν πικρότητα τοῦ χύμου nascuntur, et inter se iungenda sunt. Παραπλήσιον δὲ τρόπόν τινα τούτῳ καὶ τὸ περὶ τὴν ψώραν, καὶ τοὺς λειχῆνας, καὶ λέπραν, καὶ ὅλως ὅσα ἐκφύματα γίγνεται. *Simili ratione fit scabies, papulae, lepra, et omnino ceterae huiusce generis eruptiones.* Ad hanc etiam morborum conuenientiam respexisse videtur IVLIANVS imperator w), cum praeter alia corporis vitia ψῶραί τινες καὶ λειχῆνες, οἷον ἐκκεκαυμέναι, TIBERIVM notasse perhibentur. Accedit, quod et iisdem veteres vtuntur remediis ad haec cutis mala perdomanda, vt a DIOSCORIDE x) aliisque fit, et a CRITONE apud GALENVM y) atque

u) Epidem. VI. Sect. VIII. p. 822. T. I. ed. *Lind.*
v) L. De Sudorib. p. 457. ed. *Heins.*
w) In Caesarib. p. 9. P. II. ed. *Paris.* 1630.
x) Parabil. I. 126. p. 33. ed. *Sarac.*
y) De Medicam. Facult. Sec. Loc. V. 3. p. 466. T. XIII. ed. *Chart.*

que AETIVM [z]) interdum inſcribitur, *ad eas, quae in mento prodeunt, impetigines, lichenas appellatas* (πρὸς τὰς ἐπὶ τῶν γενείων λειχῆνας). *Ad menti lichenas*, inquit ille, *quae iniucundiſſima eſt affe-ctio: Nam et pruriginem inducit, et affectarum par-tium circumtentionem, et periculum non modicum. Ser-pit enim aliquando per totam faciem, oculosque contin-git, et ferme extremae foeditatis cauſſa exiſtit.* Simi-liter a GALENO apud AETIVM [a]) *lichenes ad faciei manantes et ſquamoſas affectiones* referuntur. Quod mali genus quo magis inueterarat, et quo latius ſerpendo proceſſerat, eo maioris periculi eſſe, atque tandem in pſoram lepramue tranſire poſſe credebatur. Immo vero magna ibidem cum diligentia et accuratione a *faciei lentigine, varis ac ephelidibus*, [b]) lichenes ſeiunguntur, quippe hi

 maxime

z) Tetrabl. II. Serm. IV. 16. p. 373. Cf. L. cit. Serm. cit. c. 9. p. 369. Coll. *Steph.* vbi haec mala ex eadem cauſſa ducuntur, cum ſquamulis furfuraceis, a mento per faciem vsque ad aures interdum proſerpentibus. Similiter *Marcellus* l. c. vbi ſimilia medicamenta ad morbos ſimiles. Immo vero *Galenus* (Compoſ. Medicam. Sec. Loc. V. 2. p. 464. T. XIII.) hab. περὶ τῶν ἐν τῷ γενείῳ λειχηνωδῶν ὄγκων, eandemque rem paullo poſt per ἐξανθήματα generatim explicat.

a) Tetrabl. II. Serm. IV. c. 9. p. 369. Sic etiam *Gal.* (Compoſ. Med. Sec. Loc. V. 3. p. 468. T. XIII.) hab. πρὸς τὰς ἐπαιρομένας λειχῆνας, et L. cit. I. 3. p. 342. πρὸς χρονίας λειχῆνας, πρὸς ψωρώδεις λειχῆνας, πρὸς ἀγρίας λειχῆνας, πρὸς τὰ ἐπὶ τῶν γενείων ὀχθώδη, πρὸς τὰς ἐπὶ τῶν γενείων λειχῆνας cet.

b) Cf. *Plin.* Hiſt. Nat. XXIII. 1. qui haec appellat *vitia cutis in facie, varosque et lentigines*, aut etiam (L. XXVIII. 12.) *impetus pituitae in facie, maculas in facie, vitiligines*, vt L. XXX. 4.

maxime ad nasum atque malas nasci solent, etsi temere negare non ausim, varia haec cutis vitia societate quadam veluti turpissima combinari facile potuisse, praesertim cum etiam *sicosi menti tumores*, qui ex ORIBASII c) testimonio *germina vlcerosa, rotunda, subdura, rubicunda, atque cum dolore sunt, et vt plurimum in capite atque etiam in reliquo corpore nascuntur*, prae ceteris mento a CRITONE, GALENO, ARCHIGENE, adiudicentur, et haud raro naturam manantium vlcerum induant.

Ex his igitur, quae adhuc dicenda duximus, facile conficitur, lichenas veterum medicorum nec feram scabiem esse, neque cum lepra vel elephantiasi prorsum conuenire, vt multis videtur, sed, iudice HEVRNIO d), *distinguuntur secundum magis et minus*. Quare id vnum, si lubet, facile concesserim, transire hunc morbum foedum atque turpem in lepram ac scabiem posse, adeoque in medio quasi esse positum; Hac enim sola ratione omnis auctorum dissensus dilui ac tolli posse videtur, atque sine dubio illud cutis vitium, quod CAROLVS CVRZIA e) descripsit atque persanauit, ex

c) L. cit. c. 14. p. 373. Coll. *Steph.* Videtur huc etiam iocus *Martialis* (L. VII. Epigr. 71.) pertinere, cum ficosam vxorem ficosumque maritum more suo ridet, aut etiam, vt multis videtur, de illo condylomatum genere intelligendus est, quod cinaedis ex turpi venere accidisse fertur. Hinc qua ratione haec *Valesius* ad luem gallicam transferre potuerit, prorsus non video.

d) Comment. ad *Hipp.* Aph. 20. L. III. p. 265. quo in loco multa simul praeclare beneque de his quibuscunque cutis vitiis, eorumque affinitate ac natura dicuntur.

e) Medicin. Wahrnehmung. B. I. St. 2. n. 5. p. 96. *Frft.* et *Strasb.*

ex hoc lichenum genere fuit; in quo tamen, si quis aliter sentiat, temere ei refragari non ausim.

G) *Lepra Graecorum et Elephantiasis.*

Praemissis omnibus iis vitiis, quibus cutis aut tota, aut per partes saltem deturpari et potest, et solet, reliquum est, vt ad *lepram Graecorum* ac *elephantiasin* propius accedamus, et, qua ratione a se inuicem abhorreant, paucis videamus. Est autem *lepra*, teste HESYCHIO [a]), πάγος τῆς ἐπιφανείας τοῦ σώματος, adhibuitque hanc vocem HIPPOCRATES [b]) ad quamuis scabritiem significandam, cum, ἐλέπρα τὴν κύστιν, diceret. Neque male turpem morbi huius originem sic recensuit Q. SERENVS SAMMONICVS [c]):

Illotus sudor et inopia nobilis escae
Saepe graui scabie correptos asperat artus.

Sunt enim lepra et scabies, auctore PAVLLO [d]), eiusdem generis, nec nisi magnitudine ac vehementia inter se differunt. *Vtraque harum affectionum*, inquit, *asperitas cutis est cum pruritu et eliquatione, ex atrabilario humore generationem habens. Verum lepra per profunditatem corporum cutem depascitur orbiculatiore modo vna cum hoc, quod squamas piscium squamis similes dimittit. Scabies autem magis in superficie*

a) Lexic. p. 594.

b) Epidem. V. §. 8. p. 773. T. I. ed. *Lind.* Cf. *Sauvages* Nosolog. Method. T. III. P. II. p. 458. vbi omnes leprae formae bene reique apposite describuntur.

c) De Medic. n. 7. p. 416. Coll. *Steph.*

d) De Re Med. IV. 2. p. 502. Cf. *Foësius* Oecon. *Hipp.* p. 380.

perficie haeret, et varie figurata eſt, et furfuracea corpuſcula remittit. Immo vero, ſi ARCHIGENI apud AETIVM e) fides ſua conſtat, lepra longe leuior eſt leuce ac alpho, quoniam *lepra aſpera eſt ad contactum, et pruritum locorum inducit*, cutis ſuperficie ſola laeſa, cum *leuce*, vt ſupra vidimus, profundius haereat, colore valde mutato, atque multo cum laeuore ſit; *alphos* vero in ſquamarum ſimilitudinem cuti adſideat: Quocum conſenſiſſe exiſtimandus GALENVS eſt, cum ei aſperitudinem tribuat τῶν ψυδρακίων ſimillimam.

Accedit et illud, quod *hominum leprae cauſſa proxima* apud CALMETVM f), *virum apprime doctum, et teſtem locupletiſſimum, eſt innumerabilis vermium copia, oculo non, niſi armato detectorum, qui pruritu vehementi producto, cutem internam et externam, carnem, muſculos et neruos paullatim perederunt.* Nolo iam multus eſſe in examinanda vel refellenda doctorum virorum ſententia, qui quaſuis cutis eruptiones ab inſectis repetunt. Fac vero, eam eſſe veriſſimam, tunc ſane ex his colligitur, lepram omnem, tanquam quandam ſcabiei turpis ac foedae ſpeciem, reputandam et diiudicandam eſſe.

Porro ſimilis ratio *leprae, ſcabiei* atque *impetiginis* illius eſt, cuius genus, teſte CELSO g), *peius et ſimile papulae ferae eſt, ſed aſperius rubicundiusque; figuras varias habens. Squamulae*, pergit ille, *ex ſumma*

e) Tetrabl. IV. Serm. I. c. 134. p. 679. Coll. *Steph.*
f) Sic ap. *Lindingerum* V. Cl. in L. De Ebraeor. Vet. Arte Med. P. I. §. 16. p. 33. ſequ.
g) De Medicin. V. 28. n. 17. p. 339. ed. *Krauſ.*

ſumma cute decidunt, roſio maior eſt, celerius et latius procedit, certioribusque etiam nonnunquam priori temporibus et fit, et deſinit. Haec tamen leprae clementia non videtur ſemper eadem fuiſſe, vt eadem, qua pſora et impetigo, via et ratione perſanaretur, ſi quidem apud AETIVM h) remedia *ad ſcabros et leproſos vngues* proferuntur in medium, quibus ii et emolliendi, et ſine vlceratione auferendi videbantur. Nolumus iam POLLVCIS i) definitioni inhaerere, qua lepra ſunt iidem λειχῆνες τραχεῖς, πολλὰ ἑλκώδεις, λεπιδωτοὶ, ὑπόπυροι, ἢ ὑπερυθροὶ, ἢ ὑπόλευκοι, δυσίατοι, καὶ φθείροντες τοὺς ὄνυχας; neque cum ACTVARIO k), placet curioſius anquirere, vtrum lepra ἀπὸ τῶν λεπίδων, an vero ſecundum NICANDRI ſcholiaſten ἀπὸ τοῦ λεπρύνεσθαι deducenda ſit, aut gordiis debeatur, vt Ill. LINNEO l) et MARTINO m) videtur. Haec enim omnia aut nihil, aut admodum parum conferunt ad naturam huius mali intelligendam. In eo tamen veteres medici a ſe ipſi diſſentiunt, vt alii lepram contagioſam eſſe pernegarent, affirmarent vero iterum alii.

Vtrumque equidem exiſtimem pro varia morbi conditione varioque vſu fieri poſſe, neque, vt nobis videtur, mala HIER. MERCVRIALIS n) con-

h) Tetrabl. IV. Serm. II. c. 79. p. 733. Coll. *Steph.* Cf. *Plin.* Hiſt. Nat. XX. 20.
i) Onomaſtic. IV. 25. n. 3. p. 219.
k) Method. Medend. II. 11.
l) Amoenit. Academ. Vol. VII. n. 7. p. 95.
m) Abhandl. der Schwed. Academ. B. XXII. p. 301. Similiter *Ed. Bancroſt*, Naturgeſch. von Gujana, p. 240.
n) De Morb. Cutan. II. 5. p. 182.

coniectura est, cum sub CELSI impetigine, quam ceteri pro scabie ferina habuerant, turpem hanc cutis inquinationem latere censeat; At vero in eo vehementer fallitur, quod hanc leprae notionem in quacunque eius specie reperiri glorietur. Praeter secundam enim vix aliqua satis respondere videtur ARCHIGENIS atque PAVLLI descriptionibus, nisi velis ita propter HIPPOCRATIS o) auctoritatem sentire, qui Atheniensis cuiusdam meminit, ex pruritu totius corporis, maxime vero testium ac oris, vehementiori laborantis, cuius cutis adspectu foeda et οἷόνπερ λέπρη, crassa esset, indeque prorsum intractabilis. Prohibemur tamen multis de caussis, quo minus haec aut de lepra, aut de quadam saltem impetiginis forma explicemus, in primis vero, quia is ad hanc pruritus iniucunditatem leniendam cutisque crassitudinem auferendam τὰ θερμὰ λȣτρὰ, quae Meli erant, adhibuisse fertur. Iam vero haec eadem sanandae elephantiasis via apud AETIVM p) est, quippe

o) Epidem. V. §. 4. p. 765. T. I. ed. *Lind.* Vsus est voc. ξυσμὸς, quae, *Erotiano* teste, propria quasi ac familiaris Coo seni est, atque per κνησμὸν explicanda.

p) Meminit harum aquarum *Caelius Aurelianus* (Morb. Diut. II. 1. p. 361. ed. *Amst.*) *quod sint frigidae virtutis, solutione laborantibus, vel fluore quorumlibet officiorum naturalium a veteribus sint approbatae.* Similiter L. Morb. Diut. V. 2. p. 562. aduersus arthritidem commendantur, et paullo post l. c. c. 4. p. 575. in earum numero collocantur, *quae aluminis habeant qualitatem.* Sic *Galenus* L. Method. Med. VIII. 2. p. 180. T. X. et L. Simpl. Medic. Facult. I. 7. p. 6. T. XIII. ed. *Chart.* eas aduersus vlcera, rheumatismos cet. valere perhibet. Cf. *Aëtius* Tetrabl. III. Serm. III. c. 33. p. 575. et Tetr. IV. Ser. I. c. 125. p. 670. Coll. *Steph.*

quippe *aut natationes in mari, aut in sulphurulentis et aluminosis aquis, non extreme frigidis, quales sunt aquae Albulae in Italia vocatae*, omni, qua fieri potuit, diligentia commendantur.

De *lepra* vero *Arabum*, cum tantopere ab hac abhorreat, nec nisi nomine eodem sit, alio loco differendum erit, modo prius, quid sibi velit *elephantiasis*, ex ipsis veterum medicorum monimentis intellexerimus. Est enim, vt olim naturae apposite cecinit Q. SERENVS SAMMONICVS [q]),

Elephas morbus tristi quoque nomine dirus,
Non solum turpans infandis ora papillis,
Sed cita praecipitans funesto fata veneno.

Varia facta huius morbi apud veteres mentio est, ac de vera eius origine disceptatum inter medicos aeque ac philosophos. PHILO enim medicus apud PLVTARCHVM [r]) elephantiasin non multis annis ante gigni atque innotescere solitam esse auctor est, atque audacter adfirmat, *μηδένα τῶν παλαιῶν ἰατρῶν τοῦ πάθους τούτου πεποιῆσθαι λόγον, ὡς ἕτερα μικρὰ καὶ γλίσχρα, καὶ δυσθεώρητα τοῖς πολλοῖς ἐνταθέντα. Neminem veterum medicorum de eo mentionem facere, cum quidem in res minutas, viles, et obscuras disputationem insumere non posthabuissent.* Porro PLVTARCHVS ex APOLLODORO refert, hoc valitudinis genus vna cum aquae metu innotuisse *Asclepiadis* tempore. Iam vero

q) De Medic. n. II. p. 417. Coll. *Steph.* Cf. *Foësius* Oecon. *Hipp.* p. 198.

r) Sympos. VIII. Qu. 9. p. 731. T. II. ed. *Xyl.*

vero hic, teste PLINIO [s]), *aetate magni Pompeii, orandi magister, nec satis in arte ea quaestuosus*, magnae auctoritatis fuit, adeoque, cur documentis his idoneis multi temere refragentur, plane non video. Similiter enim senserat CAELIVS AVRELIANVS [t]). *Veterum autem medicorum*, inquit, *nullus istius passionis curationem ordinauit, excepto Themisone, atque ex philosophis, Democrito, si vere eius de elephantiacis conscriptus dicitur liber.* Id quod etiam exinde patet, quod, ex GALENI [u]) fide plurimi eorum, qui Alexandriam vrbem incolunt, elephantiasi laborarant, atque illud mali genus in Germania et Mysia rarissime, apud Scythas vero, qui contenti lactis potu erant, fere nunquam accidisse ferebatur.

Dicunt hunc horrendum morbum CELSVS [v]), ARETAEVS [w]), CAELIVS AVRELIANVS [x]) atque ARCHIGENES [y]) *elephantiasin*, alii *leontiasin*, alii *satyriasin*, alii denique, vt GALENVS [z]) auctor est, addunt *ὀφίασιν*, *ἀλωπεκίαν* et *λώβην*. Quae nomina cum non, nisi signorum magnitudine ac diuersitate a se inuicem dissentiant, minutis hisce diuisionibus inhaerere amplius non lubet, siqui-

s) Hist. Nat. XXVI. 3.
t) Morb. Diut. IV. 1. p. 493. ed. *Amman.*
u) Method. Medend. ad *Glaucon.* II. 12. p. 390. T. X. ed. *Chart.*
v) De Medicin. III. 25. p. 176. ed. *Krauf.*
w) De Sign. et Cauff. Diut. Morb. II. 13. p. 69. ed. *Boerh.*
x) L. cit.
y) Ap. *Aëtium* Tetrabl. IV. Serm. I. c. 120. p. 633.
z) Introduct. c. 13. p. 386. T. II. et L. De Tumorib. praeter Natur. c. 14. p. 320. T. VII. ed. *Chart.*

ſiquidem ſi cuius haec ſcire intereſt, facile legi apud auctores ſupra allegatos poſſunt.

Eſt vero elephantiaſis, quatenus ex AETII atque PAVLLI [a]) locis coniectando adſequor, *morbus grauis et prope inſanabilis*, adſpectu foedus, contagioſus, atque propter aerem vlcerum foetore corruptum inſidioſus, cum clanculum quaſi ab internis viſceribus foras delabatur, ac tunc demum naſci videatur; Id quod aduerſus ARCHIGENEM negat et pernegat IO. PALMARIVS [b]), atque ab eius quodammodo partibus ſtetiſſe cenſendus eſt MARCELLVS, EMPIRICVS [c]), quo auctore, hoc *malum plerumque a facie auſpicatur, primumque oritur quaſi lenticulis variis et inaequalibus, cute alba, alibi craſſa, alibi tenui, plerisque locis dura, et quaſi ſcabida, et ad poſtremum ſic increſcit, vt oſſibus caro adſtricta, tumeſcentibus primum digitis atque articulis, indureſcat.*

Porro elephantiaſis, ſi PAVLLI verbis abuti liceat, *cancer quidam in toto corpore eſt*, cuius duae dantur ſpecies; altera, quae *ſubrubros elephantos, eosque mitiores quodammodo et minus malignos efficit;* altera, quae *cum exulceratione totius fere corporis, maximeque faciei, et tumidis eminentiis eſt*, atque extremis partibus vim infert maximam; vtraque vero humori viſcido et acri, cibis difficilis materiae, ſocor-

a) De Re Medic. IV. I. p. 500. Coll. *Steph.*

b) L. De Elephant. c. I. p. 260. in Coll. Morb. Contagioſor. Cf. *Sauuageſius* Noſol. Method. T. III. P. II. p. 449. ſeq. qui morbum hunc bene deſcripſit.

c) De Medicament. c. 19. p. 322. Coll. *Steph.*

ſocordiae et otio illiberali debetur, et in regione calida aeque ac frigida, in viris potius, quam feminis, in pueris atque iuuenibus, cum pubeſcere incipiunt, aequabiliter gignitur.

Mira olim hic morbus ſaeuitia et immanitate vſus eſt ad valitudinem labefactandam, adeoque certe digniſſimus, cuius ſigna, praeeunte verbis ARCHIGENE d), hic adſcribamus. *Conſequitur eos*, inquit, *qui obnoxii futuri malo ſunt, ſegnities, ſpiratio tarda, ſpirandi difficultas, motus difficilis, adſidua conſtrictio alui; vrinarum, veluti ſunt iumentorum lotia, excretio, reſpiratio grauis et foetida, ructus continui, qui etiam ipſis aegris aliquid moleſtiae addunt; appetitus non obtuſi quidem, neque inflammati, impetus in venerem intenſus. Iam vero vbi ad cutem progreſſum fuerit malum, malae primum craſſiores fiunt et mentum; deinde rubeſcunt, non florido, ſed liuido rubore. Et ſub lingua venulae varicoſae fiunt ac nigreſcunt: quod ſignum eſt, etiam viſcera ipſa in ſimili conſtitutione eſſe, eiusmodi plane, qualis in porcis quibusdam circa interna videtur, quae grandinis nomine inſignitur. Quandoque vero et per omne corpus eminentiae apparent, et praeſertim iuxta ſummam frontem ac mentum. Corpus praeterea ipſorum magnum eſſe videtur, et cuiusdam intolerabilis grauitatis ſenſus eis adeſt: vnde neque potu, neque cibo admodum ſuauiter delectantur. Puſillanimes fiunt ad omnia, neque prae vitae amore vitam relinquere et contemnere poſſunt, neque affectionem ipſam generoſo animo perferre, verum veluti ſeipſos condemnantes, ſe occultant, et notos homines vitant.*

d) L. cit. Cf. *Galen.* Definit. Medic. n. 296. p. 266. T. II.

tant. Quidam porro ex eis ad modum eorum, qui ſuffocantur aut ſtrangulantur, maxime circa ſomnos, afficiuntur. Quemadmodum igitur perfecte a malo, eiusque diurnitate victis fruſtra manum admouemus, ita et abſtinere ab iis, qui iam affectione corripi et tentari videntur, plane deſperantium hominum eſt et malignorum. Humanum enim et plenum beneuolentiae ſignum eſt, in extremis etiam malis vſque ad experimentum procedere, ad difficultatem affectionis compeſcendam. Hactenus ARCHIGENES.

Ex his facile intelligitur, quanti momenti olim et curae hoc valitudinis aduerſae genus fuerit, cui inerant et *tumores cutis efferati atque inflammati, et maiores atque liuentes eminentiae, nigrae valdeque liuidae, vlcera paſcendo proſerpentia, condylomata oris* cet. Porro natura huius mali, vt inter omnes conſtat, rebellis eſt, atque haud raro, vt poeta perbelle,

In ipſos ſaeua medentes
Erumpit clades, obſuntque auctoribus artes;

Immo vero ARETAEVS [e]) elephantiaſin omnis ſanationis expertem eſſe cenſuit.

Quare non poſſumus non ex his, quae adhuc commemorauimus, colligere, morbum hunc propter remediorum ſimilitudinem [f]), quorum vſus in pruritu, impetigine, pſora et lepra multus fuerat, omnium cutis vitiorum primarium quaſi eſſe,

e) De Curat. Morb. Diut. II. 13. p. 134. ed. *Boerh.*
f) *Plin.* Hiſt. Nat. XXVII. 12.

praesertim quia GALENVS g) auctor est, quosdam elephantiasi laborantes viperarum esu in lepram incidisse maximo cum valitudinis emolumento.

Nouus olim hic et incognitus morbus in Italia fuit, teste PLINIO h). *Diximus*, inquit, *elephantiasin ante Pompeii Magni aetatem non accidisse in Italia, et ipsam a facie saepius incipientem, in nare primum, velut lenticula; mox inualescente per totum corpus, maculosa, variis coloribus et inaequali cute, alibi crassa, alibi tenui, dura, ceu scabie aspera; ad postremum vero nigrescente, et ad ossa carnes apprimente, intumescentibus digitis in pedibus manibusque* cet. Conueniunt haec praeclare cum CELSI i) descriptione, exindeque, vt haec obiter moneam, colligi posse videtur, vixisse hunc paullo post *Pompeii* tempora, quoniam haec *elephantia* ab eo *ignotus pene in Italia morbus* appellatur.

H) *Lepra Arabum.*

Quibus rite peractis atque cognitis, facile ad intelligendum est, cuius naturae ac indolis *lepra* sit *Arabum*, et quatenus a Graecorum lepra differat. De

g) L. De Tumoribus l. c. Cf. L. De Subfigurat. Empir. c. 12. p. 345. T. II. et L. Simpl. Medic. Facult. XI. 11. p. 296. T. XIII. ed. *Chart.*

h) Hist. Nat. XXVI. 1. Cf. *Caelius Aurel.* Morb. Diut. IV. 1. p. 492. ed. *Amman.* cuius curationis via non abhorret a Graecorum instituto. Adduxit vero eodem etiam loco qui primi huius morbi meminerunt, quorum in numero sunt *Democritus* atque *Themison*, atque huius denique sectatores, quibus *corruptione quadam et laxatione extremae cutis in corporibus haec passio generari videbatur.*

i) De Medicin. III. 25. p. 176. ed. *Kraus.*

De quo cum olim diu multumque ſit in vtramque partem diſputatum, propter gallicae luis novitatem ac vetuſtatem, non placet hic iterum multis verborum ambagibus abuti, quibus legentium animos huc illuc traheremus. Pleni enim maiorum noſtrorum libri ſunt, qui in hoc malo explicando verſantur, adeoque adeant, ſi quorum haec penitius noſſe interſit, NICOL. LEONICENVM [a]) ASTRVCCIVM [b]) ceterosque fere omnes.

Eſt vero *lepra Arabum*, cuius quatuor ſpecies effecit ROLANDVS [c]), *elephantian*, *alopecian*, *leoninan*, *tyriaſin*, vera graecorum medicorum elephantiaſis, etſi, incredibile, quantum ſcriptores hac in re a ſe inuicem diſſentiunt. Sed bene hanc ita deſcripſit AVICENNA [d]): *Lepra eſt morbus ortum habens ex bile atra per totum corpus ſparſa, vnde intemperies partium, forma et figura, et tandem etiam ipſa continuitas corrumpitur, et eſt cancer communis corpori toti.* Neque ab hac ſententia alieni ſunt SERAPION [e]), RHASES [f]), AVENZOAR [g]), AVERROES [h]), ALSAHARAVIVS [i]), alii.

 Sunt

a) De Morb. Gallic. p. 15. ſeq. T. I. Coll. *Luiſin.*
b) De Morb. Vener. l. 3. p. 11. et c. 14. p. 94.
c) Rat. Medend. IV. 14. p. 303. ad calc. *Opp. Albuçaſe.*
d) Can. III. Fen. IV. Tr. 3. c. 1.
e) Practic. Tr. V. 15. p. 56. b. ed. *Iunt.*
f) Ad *Almanſ.* De Re Med. L. VI. 35. p. 129. ed. *Baſil.* 1544.
g) Rectificat. Medic. et Regim. L. II. Tr. VII. c. 11. fol. 31. a. ex int. Mag. *Parauicii.*
h) Colliget L. III. 7. fol. 15. a. ed. cit. *Auenz.* vbi expreſſe lepra dicitur *cancer vniuerſalis.*
i) Practic. Tract. XXXI. c. 2. fol. 135. a. ed. *Aug. Vindel.* 1519.

Sunt vero leprae huius, vt medici Arabes memoriae prodiderunt, ſigna potiora, *auriculae attenuatio, foetidiſſimus faciei ſudor, oris inflatio cum magna et valida rubedine, pectoris pedumque frigus tantum, vt moueri neſciant, anhelitus ſtrictura, raucedo vocis aut ſubtiliatio, cutis aſperitas, alteratio coloris et offuſcatio albedinis oculorum, nodi et viſtigia in corpore dura et lapidoſa; Ingroſſantur*, pergunt illi, *digiti et indurantur genua, fit puſtulatio ſuperficiei corporis, paucitas capillorum, et tenuitas, et depilatio ipſorum, et augmentatur amiſſio motus in extremitatibus, et inuadunt* aegrum *terribilia ſomnia et mala vlcera, et cum protenditur tempus, depilantur pili ſuperciliorum, oculorum, et pili naſi, et palpebrarum, et incipit diſtractio naſi, et eius profundatio, et foetor anhelitus. Signa demonſtratiua perfectionis leprae ſatis patent, et non poſſunt latere ſenſus hominum, quoniam alteratur color, et perditur vox, et depilantur pili totaliter, et vlceratur ſuperficies corporis, et fluit ex ea putredo cum vehementia foetoris, et incipiunt cadere extremitates, et lacrymantur oculi* cet.

Eſt autem haec lepra, ni fallor, ea Arabum recentiorum ſpecies, quam, teſte NIEBVHRIO [k]), vulgo *Madsiurdam* ſ. *Dſuddam* appellant, eique certe inſunt plurima ſigna, quibus, vt ſupra vidimus, *lepra Arabum* infeſtare ſolet. Immo vero videtur nobis Graecorum elephantiaſis eſſe, quippe ſimili ſymptomatum caterua circumuallata quaſi eſt, neque vllum hac in re dubium relinquitur,

k) Beſchreib. von Arabien, p. 135. ſequ. vbi tres ſpecies leprae commemorantur et explicantur.

tur, cum Arabes medici lepram Graecorum feorfim pertractarint, elephantiafin non item. Nec iniuria. Eft enim haec non, nifi fummus fcabiei apud PAVLLVM, et impetiginis apud CELSVM gradus, neque vllo modo diffentit AVICENNA l). *Albaras nigra*, inquit, *eft illud, quod etiam impetigo excoriatiua, et eft fcabiofitas accedens cuti, afpera, vehemens, et facit fquamas, ficut fquamas pifcium, cum pruritu, atque eft cum humore melancholico.* In quo tanta eft Graecorum et Arabum confenfio, nihil vt magis effe poffit, adeoque fatis mirari non poffum, quid fit, quod et veteres, et recentiores medici hac in re tantopere a fe inuicem recedant, cum non, nifi cauffarum fignorumque ratio habenda videatur. Iam vero hafce fpecies, etfi nomine diuerfas, maxima intercedit fimilitudo, fic, vt alterum in alterius locum facile poffit concedere. Huc enim fane pertinent MACRI m) verba:

Eft leprae fpecies, elephantiafisque vocata,
Quae cunctis morbis maior fic effe videtur,
Vt maior cunctis elephas animantibus extat,

 l) *Ele-*

l) Can. XIV. Tr. 2. c. 9. Cf. *Serapion* Practic. Tract. V. 2. feq. p. 53. Eft vero inter *albaram* et *lepram Arabum* illud difcrimen, iudice *Alfaharauio*, (Pract. Tr. 31. c. 2. P. IV. p. 136. a.) *quoniam cum lepra corrumpitur difpofitio creationis, et cadunt extremitates, in albara autem fequitur pruritus et cutis afperitas tantum, et corruptio quidem complexionis cholerae nigrae in eo eft diuerfa; in lepra vero aequalis, et vniuerfas fpecies leprae communicat cafus capillorum penitus* cet.

m) De Virib. Herbar. v. *Nepeta* v. 13. fequ. p. 35. ed. *Io. Atrociani* 1530.

I) *Elephanthiasis Arabum.*

Nouum morbi genus est, quod *elephantiasis Arabum* nominatur, eiusque Graeci ac Latini nusquam meminerunt. Est vero, quantum coniectando ex spinosis Arabum locis adsequimur, quoddam cutis vitium, ex varicum genere, quod pedes quasi solos infestare solet. Ita enim HALY ABBAS a): *Vlcera, quae in pedibus et cruribus fiunt, elephas vocantur. Et elephanticus morbus apostema est melancholicum, quod in cruribus fit et pedibus, et eius signum est, quod pedis figura elephanti figurae similis sit.* In quo consentiunt AVICENNA b), RHASES c), AVENZOAR d), ALSAHARAVIVS e), AVERROES f) cet. adeoque aut sibi non satis constitit HALY ABBAS, cum alio loco elephantiasin Graecorum more nominaret, similemque redderet descriptionem, aut etiam, vt videtur, *albaram albam* AVICENNAE, quae CELSI *impetigo* est, secundum HIER. MERCVRIALEM g) vero illius *leuce*, turpissimo errore cum albara nigra permutavit. Sed salua res est, modo id memineris, videri eum libros suos quasi retractasse, adeoque puto constabit inter omnes, *elephantiasin Graecorum*

a) Theoric. L. VIII. 15.
b) Can. III. Fen. 22. Tract. 1. c. 16. p. 967. T. I.
c) Ad *Almans.* L. IX. 93. p. 274. ed. *Basil.* 1544.
d) Rectificat. Medicat. et Regim. L. II. Tract. VII. c. 25. p. 33. a. ed. Mag. *Parauic.*
e) Practic. Tract. XXVIII. c. 11. fol. 110. a.
f) Colliget L. III. 7. p. 15. ed. *Opp. Avenz.*
g) De Morb. Cutan. II. 5. p. 184, Cf. *Fracastor.* De Morb. Contag. II. 13. p. 128. seq. vbi haec cutis vitia bene signisque suis propriis a se inuicem discernuntur.

rum et lepram Arabum eundem prorſum morbum eſſe, a quo toto, quod aiunt, caelo *differat Arabum elephantia.*

Sunt vero huius mali ſecundum RHASEN ſigna praecipua quaſique propria. *Crura intumeſcunt, et totus habitus atro colore ſuffunditur, venaeque, quas varices appellant, apparent:* aut, vt ALSAHARAVIVS deſcribit, ſit *inflatio cruris et pedis, donec ingroſſantur valde, et ſimilantur cruribus et pedibus elephantis. — Et quando perfecta et conſummata fuerit aegritudo, nulla valet ingeniatio circa eius curationem, ſed poſſibile eſt ſanari apud ſui originem.* Addantur praeterea, ſi placet, alia ex AVICENNA [h]), *groſſities cruris et pedis, cum effuſione ſanguinis, color pedis rubeus, deinde niger, nodi ſciſſio, vlceratio* cet. Occurrunt id genus vitia etiamnum in Arabia, et Malabaria maxime, KAEMPFERO [i]) teſte, ſimiliterque in *Aegypto*, vt PROSPER ALPINVS [k]) auctor eſt. Sed haec hactenus.

Ex his enim, quae de plurimis ac potioribus cutis morbis, eorumque diſcrimine, proferenda duximus, facile conficitur, miram eos omnino omnes intercedere ſimilitudinem et cauſſarum, et ſignorum, nec niſi magnitudine ac vehementia a ſe inuicem abhorrere. *At vero limites inter has diuerſas impetigines adſignare*, inquit FRANC. BOIS-

h) L. cit. Cf. *Conſtantin. African.* L. De Elephant. p. 322. ad calc. *Opp. Albucaſe* ed. *Baſ.* 1544.

i) Amoenit. Exotic. Faſc. III. Obſ. 8. p. 552. ſeq.

k) De Medicina Aegypt. I. p. 25. ſequ. Cf. *Cartheuſer* De Morb. Endem. p. 258. ſeq.

SIER de SAVVAGES l), *difficile est, tum quia lepra et elephantiasis raro hodie videntur, tum quia diuersae illae virulentiae non raro mixtae aut combinatae reperiuntur in eodem subiecto.* Videntur tamen, nisi vanus augur sum, omnes horum cutis vitiorum species sub communi *psorae* nomine, tanquam genere suo, contineri, sic, vt *pruritus*, *ἐκζέματα*, CELSI *pustulae ac papulae*, *herpes*, *lichen*, *vitiligo nigra et alba*, *lepra Graecorum Latinorumque impetigo*, leviorem scabiei speciem referant, eamque mirifice inter se complicitam; *elephantiasis* vero *Graecorum et lepra Arabum* mediam psorae formam constituant, atque mala sint turpitudine sua et crudelitate infestissima; vltima tandem eaque truculentissima habeatur *Arabum elephantiasis*, quippe quae omnia cutis vitia foeditate sua quam longissime superat, et tantum non semper est insanabilis.

In quo si errauerint multi ante nos medici, videntur aut oscitanter in legendis veterum medicorum cum Graecorum ac Latinorum, tum vel maxime Arabum monimentis, signisque rite conferendis versati esse, aut temerarii in iudicando fuisse, cum, quae natura sua multum a se inuicem discrepabant, ob quandam nominis aut signi cuiusdam similitudinem eadem esse morborum genera sibi persuaderent; aut denique laboris improbi magnitudine maliue pertinacia deterriti hastam animumque abiecerunt: Accidit enim illis, quod medicis in longorum morborum curatione, siquidem, CELSO m) teste, *longus morbus,*

cum

l) Nosol. Method. T. III. P. II. p. 435.
m) De Medicin. III. 1. p. 112. ed. *Kraus.*

cum penitus insedit, quod ad difficultatem pertinet, acuto par est.

Multa praeterea (fatebor enim) supersunt in his morborum apud veteres nominibus enodandis ac explicandis: Sed id cum a proposito nostro alienum est, quaecunque de hoc argumento dici aut poterant, aut debebant, pluribus edisserere, tum etiam verendum est, ne quibus longa hac de cutis vitiis disputatione, dudum fuerim taedio atque oneri. Id vnum omnes sciant peruelim, haec nec doctrinae ostentandae gratia, nec carpendi animo a nobis dicta esse. Animus enim erat, *varias morborum species* recensere, in quibus praeter nomen consentiant veteres ac recentiores medici, adeoque nec illa cutis vitia, quae passim apud exteros occurrunt, prorsum praetereunda videbantur.

VIII.

MORBVS VENAE CAVAE. ACVTVS ET ΚΕΔΜΑΤΑ ARETAEI.

Multa restant morborum genera, quorum natura, si per temporis angustias nobis liceret esse tam copiosis, hic videretur pluribus commemoranda. At vero multis de caussis commoti non, nisi *morbum* quendam *venae cauae*, cuius ARETAEVS meminit, *ἄσθμα πνευμῶδες*, ac *venam Medinensem* breuiter recensebimus, siquidem exinde de iis, quae praetermittere nos oportuit, facile iudices.

Magna vero inter viros doctos orta est controuersia vtrum *acutus venae cauae morbus atque*

κέδματα,

κέδματα, quorum ARETAEVS [a]) meminit, hodienum occurrant atque ſint eadem, an potius omnino obſoluerint. Poſterius nobis ſigna morbi huius rite penſitantibus nullo modo videtur veritati eſſe conſentaneum, prius vero vel maxime, adeoque ne nimis temere haec adfirmaſſe perhibear, placet iam ſingula percenſere.

Primum igitur multus ARETAEVS eſt in deſcribenda venae cauae ſede vaſorumque inde proficiſcentium poſitu, ſic, vt, quoad eius per iſtorum temporum opportunitatem fieri poſſet, vtraque vena cum ſuperior, tum inferior, ad viuum naturaeque apposite exprimatur. Deinde illam variis morbis acutis obnoxiam eſſe auctor eſt, quamuis, vt in eiusmodi rebus obſcuris fieri ſolet, veterum medicorum alius aliter cenſeat. Quibus praemiſſis, morbum ipſum ſic deſcribendum exiſtimauit.

Γίγνεται δ᾽ ἐν ἀμφὶ τήνδε τὴν φλέβα καὶ κέδματα, εὖτε ῥηγνυμένη αἱμοῤῥαγίῃ ὤκιστα κτείνει, ὕπερθεν μὲν, διὰ πλεύμονος καὶ ἀρτηρίης ἐκχεομένου, ἢν ἐν τῷ θώρηκι ῥαγῇ· ἢν δὲ παρὰ τὴν ἀρχὴν, ἐς τὴν κάτω κοιλίην τοῖσι ἐντέροισι περιέχεται, ὡς ἐμπλέειν τὰ ἔντερα, εὖτε πρώην κατ᾽

In hac itaque vena κέδματα oriuntur, quando ſanguis copioſius erumpens citiſſime vitam delet, per ſuperiora quidem, per pulmones et arteriam effluens, ſi in pectore fiat effractio: Si iuxta principium, in imum ventrem deſcendens, in inteſtinis continetur, atque adeo inteſtina replentur, cum prius, quam deiectus ſanguis in

a) De Sign. et Cauſſ. Acut. Morbor. II. 8. p. 20. et L. De Cauſſ. Morb. Diut. I. 12. p. 41. ed. *Boerh.*

ἐν ἐκφανῆναι τὸ αἷμα, θνήσκουσι οἵδε· ἢν δὲ ἡ κοιλίη πληρευμένη αἵματος.

Γίγνεται δὲ καὶ φλεγμονὴ ἀμφὶ τὴν φλέβα, ἀτὰρ καὶ ἥδε ὀξέως κτείνει, ἢν μεγάλη ἔῃ. πῦρ μὲν γὰρ δριμὺ, δακνῶδες, ἐν τῇσι κοιλίῃσι ἀμφοῖν ἐγκαθειργμένον, βραχὺ δὲ μοῦνον ὑπερίσχον, ὡς δοκέειν ἁπτομένῳ λεπτὴν ἔμμεναι θέρμην. ὁ δὲ ἄνθρωπος καίεσθαι δοκέει· σφυγμοὶ σμικροὶ, πυκνότατοι, ὁκοῖόν τι πεπιεσμένοι, καὶ δεδιωγμένοι· ψύξις ἀκρέων, δίψος καρτερὸν, ςόματος ξηρότης, προσώπου ἐρύθημα ξὺν ἀχροίῃ· ὑπέρυθρα δὲ τὸ ξύμπαν σῶμα, ὑποχόνδρια σκληρὰ, ἀνεσπασμένα, ὀδύνη ἐπὶ δεξιὰ μᾶλλον, καὶ παλμὸς τῆσδε παραμήκης, μέχρι τῆς λαγόνος. μετεξετέροισι δὲ καὶ τῆς ἀρτηρίης τῆς παρὰ τὴν ῥάχιν, ἢν ὁ σφυγμὸς ἐς τὸ ἕτερον ὑποχόνδριον διασημαίνῃ· ξυμπαθὴς γὰρ καὶ ἥδε γίγνεται παρ᾽ αὐτέην ἐπ᾽ ἀριςερὰ κειμένην, ὡς τῆς ἐπὶ τῷ παντὶ οὐδὲν ἐπικουφιζούσης, ἀλλ᾽ οὐδὲ τὸ δέρμα μαλθακούσης. ξηρὸν δὲ τόδε, καὶ ῥυσσὸν, καὶ

in conſpectum detur, homines intereunt, et ventriculus ſanguine redundat.

Naſcitur et circa venam phlegmone, quae et ipſa, ſi magna ſit, celeriter hominem tollit. Ignis enim acer mordaxque in ambabus cavitatibus incluſus accenditur, paucusque duntaxat foris apparet, vt tangenti flamma tenuis eſſe videatur. Aeger vero ſeſe comburi exiſtimat. Pulſus arteriarum exigui ſunt, creberrimi, ac veluti oppreſſi atque repulſi. Frigus adeſt extremorum, ſitis aſpera, oris ſiccitas, facies decolor rubet. Omne corpus ſubrubidum eſt, praecordia dura ſunt atque reuulſa, dolor in dextra parte maior, et cum eo palpitatio in longitudinem ad ilia vsque perveniens. Quibusdam et arteria ſecundum dorſum inflammatur, quod pulſatio in alteris praecordiis manifeſtat. Nam et ipſa venae cauae morborum particeps efficitur iuxta illam in ſiniſtro latere poſita, vtpote ea, quae in omne corpus diducitur, nihil leuaminis adferente, neque cutim emolliente. Cutis autem ſic affectorum ſqualida,

τρηχύ· καὶ ἐπὶ δὲ μᾶλλον ἐν τοῖσι ἐξίσχουσι ὀστώδεσι, οἷον ὀλεκράνῳ, γούνασι, ἢ κονδύλοισι· ὕπνοι ταραχώδεες, κοιλίη τοῖς μὲν οὐδὲν ἐκδιδοῖ, τοῖς δὲ σμικρὸν, δριμὺ, χολῶδες, οὖρα ξανθὰ, δακνώδεα· τὴν γνώμην οὐ παράφοροι μὲν, νωθροὶ δὲ καὶ μαρασμώδεες, εὖτε ὁκόσοι τήνδε κατάστασιν εἶδον, καῦσον ἐκάλεον. καὶ γὰρ καὶ τοῦ γένεος τοῦ καύσου τὰ παρέοντα, καὶ ἐν φθινοπώρῳ γίγνεται· ἔπει τὸ θηριῶδες καὶ ἀκμάζουσι, καὶ νέοισι, οἷσι ἰσχνὴ ὑπὸ διαίτης πονηρῆς καὶ ταλαιπωρίης ἡ ἕξις. τέσσαρες καὶ δεκαταῖοι οἵδε τὰ πολλὰ θνήσκουσιν· οἷσι δ' ἂν ἐς μῆκος ἡ νοῦσος ἀφίκηται, ἐν διπλασίοισι ὄλλυνται· ὁκόσοι δὲ ἢ σμικρὴν ἀρχῆθεν ἴσχουσι τὴν φλεγμονὴν, ἢ τῆς μεγάλης καταβραχὺ διαλυομένης, διαδιδράσκουσι μὲν τὸν ὄλεθρον, οὐδέπω δὲ ἀφίενται τοῦ κακοῦ. οἱ δὲ μακρὸν μὲν τὸν χρόνον τὸν καῦσον νοσέουσιν· ἀποπαύε-

ſqualida, rugoſa atque aſpera eſt: Sed in partibus prominentibus atque oſſeis, vt in cubitis, genubus, digitorumque articulis magnis, talis conſpicitur. Somni tumultuoſi fiunt, aluus quibusdam nihil reddit, quibusdam exiguum, acre, bilioſum: lotium acre mordaxque eſt. Mens vtique his conſtat, ſed quadam ſegnitie torpet, et corpus tabe conſumitur. Tum quotquot hunc habitum viderunt, eum *καῦσον* appellarunt, quandoquidem quae adſunt, ſub ardoris genere collocantur. Per autumnum haec labes exoritur, cum ferum quiddam et immane ſapit. Viros ac iuvenes occupat, quibus mala viuendi ratio laboresque tenuem corporis habitum compararunt. Decimo quarto die hi plerumque moriuntur: Quibus morbus diutius trahitur, duplo longiori tempore pereunt. Quotcunque autem aut ab initio puſillam phlegmonem habent, aut magnam, paullatim remittentem, mortem quidem euadunt, ſed nondum morbo liberantur. Hi longo ſane tempore cauſo laborant; verum

ται δὲ τὰ κινδυνώδεα, αἱ ὀδύναι καὶ ξυντάσιες τῶν ὑποχονδρίων, καὶ ἡ κακοσφυξίη, καὶ τῆς γνώμης τὸ νωθές· ἔτι δὲ ἔμπης ἔασιν ἀσσώδεες, ἀλύοντες ξὺν ἀπορίῃ· ξύνεςι δὲ ὅ, τε καῦσος, καὶ τὸ δίψος, καὶ τῆς γλώσσης, καὶ τȣ̃ ςόματος ἡ ξηρότης· ἀναπνέȣσι πολλὸν, μακρὸν ἕλκοντες, καὶ ἀθρόον ὅλον τὸν ἠέρα, ἐς ἔμψυξιν ἐπισπώμενοι. ἀτὰρ εἴτε πίνȣσι ψυχρὸν χανδὸν πολὺ πλεῖςον, καὶ ἐς μὲν βραχὺ ἀνεκȣφίσθησαν, εἶτ' αὐτοῖς ἐξάπτεται τὸ δίψος, αὖθις ἄδδην πίνȣσι· καὶ ἥδε ἡ διαδοχὴ τȣ̃ κακȣ̃. —

rum omnia periculosa iam desinunt, dolores, praecordiorum distentiones, et pulsuum malitia, et mentis ignavia. Adhuc tamen fastidiosi sunt, languentes, consilii inopes; Simulque et ardor, et sitis, et linguae orisque siccitas aegrum discruciant, multum diuque trahentes spirant, et subito totum aerem vna spiratione refrigerandi caussa adducunt. Verum si frigidam quam plurimam affatim bibunt, breui interuallo molestia leuantur. Postmodum ipsis sitis accenditur, rursumque vberrime aquam ingurgitant. Et haec est mali successio et reciprocatio. —

Quae ARETAEI verba si quis attentius perlegerit, illico (spero) intelliget, duo hic valitudinis aduersae genera commemorari, vt iam ante nos et WIGGANVS b) credidit, cum diserte venae cauae inflammationem ab illo morbo seiungeret, quem *κέδματα* nominant, et nuper demum praeclare reique apposite BALDINGERVS c) V. Cl. demonstrauit. Alterum enim sine dubio per *venae cauae κέδματα* explicatur, alterum vero *eius inflammatione* cernitur.

Sunt

b) De *Aretaei* in reb. Anatom. Scientia, p. 18. ed. cit. *Boerh.*

c) Progr. De Venae Cauae Acut. Morb. *Ien.* 1771.

Sunt vero κέδματα apud auctores varios varia. GALENVS d) enim haec explicuit per τὰς ἐκ ῥεύματος χρονίους διαθέσεις, ἤτοι περὶ τὰ ἄρθρα σύμπαντα, ἢ ἐξαιρέτως περὶ τὰ κατ᾽ ἰσχίον. *Diuturnos ex defluxione affectus, vel in omnibus articulis, vel praecipue circa coxam.* Neque multum absimiliter alio loco e), vbi κέδματα dicuntur τὰ εἰς τὰ σκέλη κατασκήπτοντα ῥεύματα, καὶ μάλιστα γ᾽ αὐτῶν τὰ εἰς τὴν πρώτην διάρθρωσιν, ἥτις ἐστὶ κατ᾽ ἰσχίον. *Fluxiones in crura decumbentes, et ex ipsis eas maxime, quae primum articulum, vbi coxendix est, occupant.* Apud EROTIANVM f) vero κέδματα sunt αἱ χρόνιαι περὶ τὰ ἄρθρα διαθέσεις, (*affectus in articulis diuturni*) apud PHAVORINVM g) contra χρόνια ἀλγήματα, (*diuturni dolores*) videnturque illi HIPPOCRATEM h) potissimum secuti, qui in Scytharum morbis equitando contractis collocarat κέδματα, quae ibidem *pedum inualitudo* sunt. Repetuntur porro illa, auctore Coo sene i), a fluxionibus. Ἢν δ᾽ ὀλίγον ῥεύσῃ, ἰσχίαδα καὶ κέδματα ἐποίησεν, ἐπὴν ῥέον παύσεται. *Si autem modicus fluxus fuerit, coxendicum et articulorum diuturnam affectionem facit, vbi fluere cessauerit.* Quo in loco similiter, vt in priori, omnia deberi videntur rheumatismo, qui primum

d) Exeges. Voc. Obsolet. *Hipp.* p. 93. T. II. ed. *Chart.*
e) In Epidem. VI. Comment. V. Text. 22. p. 530. T. IX.
f) In Glossar. *Hipp.* Obsol. Voc. p. 123. T. II. ed. *Chart.*
g) Lexic. p. 1025. ed. *Camerar.*
h) L. De Aere cet. §. 50. p. 357. T. I. ed. *Lind.* Cf. *Foësius* Oeconom. *Hipp.* p. 331.
i) L. De Loc. in Hom. §. 19. p. 374. T. I.

primum acrimonia ſua interiores coxarum articulorumque partes infeſtet, et tandem tumoris naturam induat, id quod hiſce verbis, *ἐς τὸ δέρμα φῦμα ποιήσῃ*, expreſſerat HIPPOCRATES. Hinc, Ill. TRILLERO k) iudice, haec Scytharum valitudo videntur fuiſſe *calloſi et inueterati tumores περὶ τὰ γεννητικὰ μόρια* ſ. *tumores inguinum.* Eleganter profecto iſta, nec infeliciter, cum eadem morbi cauſſa ſit et apud Scythas, et apud M. SERVILIVM, quem ſic loquentem induxerat T. LIVIVS l): *Tumorem hunc inguinum in equo dies noctesque perſedendo habeo* cet. Immo vero bene cum euento conueniunt, quae ex HIPPOCRATIS magni ſententia fuerat *impotentia.* Denique alio loco m) *κέδματα*, niſi quid acceſſerit, in eorum morborum numero collocantur, qui non ſunt mortiferi, continenturque hoc genere *melancholia, podagra, coxarum dolor, frequens deſidendi cupiditas, febris quartana et tertiana, ſtranguria, lippitudo, lepra, lichen, arthritis*, cuius immanitas haud raro tanta ſit, vt multi exinde omnem manuum, pedum vocisque vſum amittant. Paullo poſt n) vero expreſſe *κέδματα* in longis morbis collocanda eſſe perhibentur.

Quod ſi verum eſt, vt eſt, efficitur, *κέδματα* multipliciter apud veteres explicanda eſſe, et tantum non ſemper ad tumorum vlcerumque rodentium formam referenda, quae aut externas corporis

k) Obſeruat. Critic. IV. 20. p. 426.
l) Hiſtor. Rom. XXXXV. 39.
m) Ap. *Hipp.* L. De Morb. I. §. 3. p. 3. T. II.
n) L. cit. p. 4.

ris partes adoriantur, adeoque per multum temporis ſpatium ſine vllo vitae periculo ſuſtineri queant, aut etiam ad interiora delabantur, roſione ſua vaſorum compagem reſoluant, veram efficiant *διαπήδησιν*, vt in ſcholis loquuntur, adeoque breui vna cum ſanguine vitam ipſam auferant.

Conſentiunt haec, vt nobis videtur, cum ARETAEI verbis, vbi per *κέδματα* copioſum ſanguinis profluuium gigni perhibet, idque, eo iudice, aut per pulmones fiat neceſſe eſt, ſi quid mali in pectore accidat, aut etiam inteſtinorum miniſterio ſeſe exoneret. Quibus ſe ita habentibus, ecquis eſt, qui, an ARETAEVS *τῶν κεδμάτων* nomen ab externis humani corporis roſionibus ad internas reuocarit, amplius dubitare poſſit aut velit? Mutato enim vocabulo, eadem tibi hodie narratur fabula.

Reſpondent enim haec morbi euenta omnium optime aut *aneuryſmati*, ſi qua magnae arteriae vis inferatur, aut etiam, *varici*, ſi in vena caua vitium lateat. Κίρσος enim, niſi totus fallor, hoc ſenſu quoque apud veteres occurrit, eſtque, GALENO o) teſte, *ἀνεύρυσις τῶν φλεβῶν τῶν ἐν τοῖς μηροῖς καὶ σκέλεσιν ἀπὸ παχέος καὶ μελαγχολικοῦ γενόμενος αἵματος*. *Varix eſt venarum, quae in femoribus et cruribus habentur, a craſſo et melancholico ſanguine facta dilatatio.* Accedit et illud, quod eos etiam vlceratis partibus p) haud raro acci-

o) In *Hipp.* Aph. Comment. VI. Aph. 21. p. 260. T. IX. Cf. *Foëſ.* Oeconom. *Hipp.* p. 338.

p) Method. Medend. IV. 2. p. 82. T. X. ed. *Chart.*

accidere dixerat, nihilque mehercle prohibet, quo minus κίρσος siue varix quidam internus similiter nasci possit, eoque fieri periculosior, quo maiora magisque necessaria ad vitam sustinendam instrumenta offenderit.

Qua de re cum subtilioris anatomes scientia ob eam scholae doctrinam, qua sanguinem arteriis contineri negabant medici quidam veteres, maximeque *pneumatici*, temere negligeretur, aut vtrumque, vti iam diximus, locum habere potest, aut etiam a sola vena caua repetendum est, quae, vt inter omnes constare arbitror, immane, quantum distendi sensim pedetentimque potest, et tandem rumpi, qualia passim exempla HIPPOCRATES q) magnus videtur adumbrasse. Neque recentiores haec prorsus silentio praetereunda censuerunt.

Vena enim *caua*, inquit Illustr. HALLERVS r) ex LAVRENTII fide, *rupta fuit, cum cor amplissimum, aortae ostium brachii capax, et aneurysmate distentum esset.* Atque alio loco s): *Venas obstrui certum est*, inquit; *certum est intumescere, et enormiter quidem se ipsis maiores reddi, multo, quam in arteriis, euidentius. Obstructas vidi aliquoties coacto sanguine, qui in polyposas fibrillas coiuerat. Vidit Bontius et repetiit Blancardus, cauam venam materie adiposa plenam, et duplo ampliorem, quam oportebat.* Hinc sane conficitur, venae cauae ruptionem obuium morbi

q) L. De Morb. I. §. 19. p. 23. T. II. ed. *Lind.* Consentit vero aneurysmatis descriptio ap. *Galen.* Definit. Medic. n. 378. p. 272. T. II.
r) Element. Physiol. L. IV. Sect. IV. §. 10. p. 402. T. I.
s) Ibid. L. VI. Sect. IV. §. 13. p. 340. T. II.

morbi genus esse posse et debere, praesertim, cum, teste HIPPOCRATE t), κίρσος a nimia venae distensione subnascatur, exindeque facilis ad scissuram sit transitus.

Fuit quoque, ni fallor, in hac sententia olim HAENISCHIVS u). ARETAEO κέδματα *hoc in loco sunt*, inquit, *siue repletiones, siue rupturae venarum, ortae vel ex multitudine, vel feruore sanguinis. Alludit enim ad hebraicum* Cadah *i. e. accensus est siue incanduit, sic dictum quasi incendium, germanice Entzündung, quod vtrumque eiusdem originis est. Comprehendit igitur nomen suo complexu id, quod alias* ἀνεύρυσμα *dici solet* ἀπὸ τοῦ ἀνευρύνειν *i. e. dilatando. Quibusdam etiam speciali nomine* κίρσος, *latine varix. Hic enim tumor est tactu blandus, a sanguine et spiritu ab arteria aut vena profusis excitatus: Quo aperto, sanguis affatim erumpit, et vna vitalis spiritus, vt aeger saepe in medicorum manibus deficiat* cet.

Huic autem scissurae praeter aortam quaeuis magna et minora vasa patent, estque descriptionum huius mali apud scriptores medicos tanta tamque immensa copia, vt, vnde exordiar, nusquam videam. Fuit tamen horum dux quasi ac coryphaeus, dum viueret, MORGAGNIVS v), qui

t) L. De Morbo I. §. 10. p. 13. T. II.

u) In Edit. *Opp. Aretaei* p. 320. *Aug. Vindel.* 1603. Cf. quae *Donald Monro* de variis aneurysmatum formis, maximeque aortae, litteris consignauit in L. Essais and Observ. Phys. *Edinb.* Vol. III. et exinde repetiit *Richterus* Bibl. Chirurg. B. II. Stück I. p. 3. sequ.

v) De Sedib. et Causs. Morb. Epist. XXVI. p. 281. sequ. Similem venae cauae inferioris dilatationem vidit *Baldingerus* optimus. v. Progr. De Venae Cauae Acuto Morb. p. 8.

qui nominis ſui gloriam praeclare factis magnisque facinoribus cum omni poſteritate adaequauit. Qui cum multus fuiſſet in eorum morborum genere, cui quaeuis corporis arteriae, maximeque aorta, ſunt obnoxiae, haec etiam mala venae cauae accidere poſſe auctor eſt idoneus. *Ceterum ſaepius contingit ruptio*, inquit ille, *ſi in arteriis, in magna; Si in venis, in caua. In hac ob cauſſas, quas continuo attingemus. — Etſi omnis ſanguis, vt per venam cauam, ſic etiam per pulmonarem tranſeat neceſſe eſt; plura tamen ſunt, quae difficiliorem eius tranſitum per illam facere, quam per hanc poſſint. Primum oppoſiti aduerſique ferme inter ſe aluei ſuperioris cauae et inferioris, vt adſcenſus hinc difficultatem, illinc deſuper ruentis ſanguinis pondus et incurſus accedant. Deinde crudi adhuc craſſioresque ſucci, et necdum permiſti, effetum cauae ſanguinem onerantes. Denique obices, qui aut morborum, aut affectuum animi vi, aut quamcunque aliam ob cauſſam expedito per venam cauam ſanguinis motui plurimi ſe poſſunt obiicere, quippe non in dexteris tantum cordis caueis, ſed et in pulmonaria arteria, et pulmonibus, et vena ipſa pulmonari, et ſiniſtris cordis caueis, et arteria magna. — Tanto facilius tum dilatatio, tum ruptio accidet in vena caua, quanto plures cauſſas eſſe oſtendimus, ob quas ſanguis in hac retardetur, et, quod conſequitur, cumuletur, cumulatus autem fibras tunicarum eius infirmet ac diſtrahat; vnde, urgente ſanguinis copia, primum vena in varicem dilatetur, deinde vero ob tunicarum extenuationem, quae dilatationem ſequitur, aut etiam ob eroſionem, quae diſtractioni fere ſuccedit, rumpatur. Sed varices cauae, niſi immanes ſint, minus incurrunt*

runt in oculos diſſecantis, quam aneuryſmata aortae. Venae enim propter tunicarum tenuitatem concidunt, ſubtracto ſanguine, quod, caua in ventre inciſa, accidit. Quamobrem cum vitiorum cauae ſuſpicio eſt, diſſectionem a thorace incipies, aut ſi forte ſanguis, cadauere ab aliis antea perſpecto et viſceribus ventris extractis, defluxerit, aqua aut aere, quoad eius ſatis eſt, iniecto, curabis, vt, quae cauae fuerit latitudo, cognoſcas, idque praeſertim, cum dextras cordis caueas nimia aut dilatatione, aut contractione affectas animaduerteris, aut etiam ſiniſtras. Hinc enim quoque, vt paullo ante dictum eſt, accidit, vt, retardato ſanguinis motu, caua dilatetur, quod prima oſtendet ex VIEVSSENII *hiſtoriis, c. 16. propoſitis, Tractatus de cordis ſtructura.*

Num vero hunc, pergit magnus MORGAGNIVS, *an alium potius huius venae morbum* indicauerit ARETAEVS, *cum ſcripſit: In hac vena κέδματα oriri, quando copioſus ſanguis erumpens citiſſime vitam delet: quaerere praetermitto, cum propter variantes ibi lectiones, vt* PETRVS PETITVS *malit: Si vena rupta ſanguinem effuderit, tum praeſertim ob latius patentem vocis illius, κέδματα, ſignificationem, ex* GALENO *in Exegeſi ita expoſitae: Veteres ex fluxu affectus. Illud certius eſt,* ARETAEVM *de huius venae ruptione loqui, et primum quidem in thorace, vt, quae continuo addit, oſtendunt, quamquam non apparet via, per quam ex illa diſrupta ſanguinem in pulmones aſperamque, vnde effluat, arteriam deducat. Sed quam* ARETAEVS *coniecerat venae cauae diſruptionem, anatome tandem oculis ipſis ſubiecit. Vt mittam exempla in ventre diſruptae, quo, incertus ſum, an attineat caſus,*

sus, quem DONATVS (De Med. Hist. Mirabil. IV. c. 9.) *indicat apud* AMATVM LVSITANVM, *cuius in scriptis necdum inueni; in thorace, atque adeo intra pericardium viderunt* LAVRENTIVS, (Hist. Anatom. Corp. Hum. L. IX. Qu. 18.) HACQVINETVS, (Ephem. Nat. Curios. Dec. I. An. I. Obs. 101.) PVERARIVS, (Ad Burnet. Thesaur. Medic. L. III. Sect. 58. in fin.) LANCISIVS, (De Subit. Mort. Obs. Physiol. Anat. V.) *alii. Sed omnes, si secundum excipias, cuius maxime ieiuna, quantum Bartholinus retulit, est obseruatio, cum aliis in vicinia morbis coniunctum inuenerunt, primus cum aortae et ventriculorum cordis dilatatione, quartus cum aortae duntaxat, tertius cum membraneo quodam carneoque corpore.* Hactenus MORGAGNIVS.

Dubitanter (fatebor enim) haec quidem maximam partem pronunciauit ille, vt eius est mos, si satis sibi non constat, sed nihilosecius reliqua naturae reique tam apposite dicta sunt, vt, qua demum alia ratione ARETAEI κέδματα explicanda sint, prorsus non videam. Quare non possum non a BALDINGERI [w]) mei stare partibus, quo iudice, *eo fere omnia redeunt, sermonem esse de venae cauae ruptura, cuius caussa, siue sit varix seu dilatatio praeternaturalis, seu erosio quaedam, quae est effectus inflammationis, haec erit perinde.*

Est igitur haec *venae cauae scissura*, vt nobis videtur, primum morbi genus, quod sibi describendum ARETAEVS sumserat: (De aduersariorum enim argumentis paullo post videbimus:) adeo-

w) Progr. cit. p. 9.

adeoque reliquum eſt, vt etiam de altero paucis dicamus, quae a verbis hiſce incipit: Γίγνεται δὲ καὶ φλεγμονὴ ἀμφὶ τὴν φλέβα, ἀτὰρ καὶ ἥδε ὀξέως κτείνει, ἢν μεγάλη ἔῃ. *Naſcitur et circa venam phlegmone, quae et ipſa, ſi magna ſit, celeriter hominem tollit.* Eſt vero hicce morbus, vt ex ARETAEI verbis ſatis ſuperque patet, vera inflammationis forma, et ex eo potiſſimum genere, quod a veteribus καῦσος x) dicitur, ſiquidem et ſigna eidem illi prorſus conſentiunt, et curationis via eadem eſt, *venaeſectio, cucurbitulae in praecordiis, ſcarificatio in ſcapulis, cataplaſmata, alui ductio, medicamenta refrigerantia, exercitatio modica ad ſudores euocandos, balnea ad aeſtum temperandum* cet.

Quae cum ita ſint, ſatis mirari non poſſum quid ſit, quod multi, hanc duplicis morbi deſcriptionem audacter pernegantes, in quamuis aliam ſententiam ingreſſi ſint, viderintque aliquam verborum συνάφειαν, quam nec olim HAENISCHIVS viderat, nec nuper BALDINGERVS noſter, neque et ego, ſi tantis me nominibus adiungi fas eſt, vnquam ex ARETAEI verbis extorqueri poſſe ſperaueram. Eſt enim hic, vt inter omnes conſtat, in ſignorum natura explicanda verborumque delectu longe diligentiſſimus, adeoque

x) Cf. *Alexander Trallian.* L. XII. 3. p. 692. ed. *Guinth.* vbi breuis et accommodata febris huius ardentis eſt explicatio. At vero l. cit. c. 8. p. 779. ex *Aëtio* adf. ἐρυσιπελατώδεις διαθέσεις, vnde in viſceribus naſcitur *febris ardens* et *hectica.* Quod malum ſi ventriculum infeſtat, dicitur *febris* illa λειπυρία: Sin vero hepar, τυφώδης; Si denique pulmonem, κρυμνώδης eſt.

que vtrumque valitudinis finiſtrae genus bene a ſe inuicem diſtinxit ſic, vt, praemiſſa τῶν κεδμάτων notatione ac effectu, tandem ad ipſam venae cauae inflammationem propius accedat, iisdem illis verbis vſus, quae ſupra commemorauimus. Quae φλεγμονὴ ſi idem, quod κέδματα, ſignificat, vt contrariae ſententiae patronis viſum eſt; vnde, quaeſo, ſedula iſta ſignorum enumeratio, quae vtrique morbo conueniunt? Qui factum eſt, vt alio loco y), cum in perſananda venae cauae inflammatione verſaretur, nuſquam τὰ κέδματα, quorum ſigna iam ſeorſim explicuerat, iterum cum hoc morbo recenſeret, niſi velis ea prorſus excidiſſe confiteri? Intelliget enim (ſpero) optimus quisque, aliam medendi viam in venae cauae inflammatione adhibendam eſſe, aliam in roſione, qualis certe in τῶν κεδμάτων valitudine adfuerit neceſſe eſt? Omnis igitur horum deſcriptio aut alias referenda eſt, aut ſaltem vncinis ſuis includenda ſeparatimque explicanda, ne qua inter legendum mora fiat rerumque confuſio.

At vero κέδματα ex inflammatione naſci poſſe, equidem non nego, quoniam id genus vlcera eam haud raro excipiunt, aut ſaltem acrimonia ſua vaſorum oſcula rodendo horrendum illud malum efficiunt: Id vnum nego et pernego, cuncta illa ſigna, quibus in deſcribenda venae cauae inflammatione ARETAEVS vſus eſt, ad amuſſim κέδματα ipſa exprimere, ac cum iis prorſum conſentire, adeoque nec vnum eundemque morbum

 eſſe

y) De Curat. Acut. Morb. II. 7. p. 108. ed. *Boerh.*

esse posse. Varia sunt argumenta, quibus duplex illud morbi genus, quod in vena caua potest accidere, facile tolli posse putant aduersarii, adeoque non incongruum videtur, ea singulatim percensere, vt, qua de caussa ab eorum partibus stare recusamus, neque hic obsoletum morbum inuenimus, omnes aequi harum rerum arbitri ac iudices intelligant.

Primum in eo sibi non satis cauisse videntur contrariae opinionis defensores, quod et κέδματα, quae in vena caua gigni solent, et inflammationem ipsam inter se confunderent. Si enim illa τῶν κεδμάτων signa propria quasi et communia sunt, neque hoc copiosum sanguinis profluuium sine praegressa inflammatione fibrarumue ruptione esse potest, qui factum est, vt ARETAEVS, cuius in obseruando diligentia tanta est, quanta est maxima, hoc in loco tantopere alucinaretur, effectumque morbi caussae ipsi anteponeret? Vnde, amabo, vna eademque res bifariam diuidi potuit, vt in κεδμάτων explicatione haec adderet, αἱμοῤῥαγίη ὤκιϛα κτείνει, (*Sanguis copiosus erumpens citissime vitam delet*) et paullo post iterum, vbi ad ipsam venae cauae inflammationem ventum erat, καὶ ἥδε ὀξέως κτείνει, ἢν μεγάλη ἔῃ, (*quae et ipsa, si magna sit, celeriter hominem tollit*)?

Ex his enim conficitur, aduersarios temere ac sine vlla necessitate cateruam exemplorum morbosque similes quaesiisse. Idem enim morbus alius alio tempore esse potest, atque cum diuersis signis accidere, adeoque nec illud argumentum magni momenti

momenti est, quod ille autumno magis, quam alio tempore grassari perhibetur. Haec enim profecto verba, ni fallor, ad solam venae cauae inflammationem pertinent, scripseratque ARETAEVS illa ex obseruatione sua, qua condocefacti scimus, alia alio tempore aliisque cum signis valitudinis aduersae genera fuisse prae ceteris exitiosa. Nec ab hac sententia profecto abhorret ipse ARETAEVS. Etenim, eodem teste, quibus rupta vena caua est, ii breui moriuntur. Qui vero ex inflammata illa laborarunt, interdum e mortis morbique tam diri ac pestiferi faucibus erepti liberatique sunt.

At vero hunc venae cauae morbum hodie insolentem et obsoletum esse aiunt. Audio. Sed, vt nobis videtur, iniuria. Si enim hoc morbi genus tam rarum ac insuetum fuisset, vt multi, iique haud contemnendae auctoritatis viri in animum induxerunt, vnde, quaeso, incredibilis illa veterum medicorum dissensio, vt de sede eius acriter disceptarent, atque alii omni venae id genus mali attribuerent, alii vero, quorum in numero ipse ARETAEVS[z]) est, illud *νωτιαῖας φλεβὸς καὶ ἀρτηρίης* proprium esse existimarent? Porro nec hac in re quicquam valet aut exemplorum copia, quae certe supra iam retulimus, aut magnorum virorum auctoritas, quoniam haec certe omnium maxime lubrica, fallax et minus firma est: neque etiam quaedam signorum diuersitas nimis vrgenda est, quippe hic et vitae genus corporisque conformatio spectetur necesse est, et victus ratio. Quod si osci-

z) De Curat. Acut. Morb. II. 7. p. 108. ed. *Boerh.*

ſi oſcitanter neglexeris, non poteris non in errorem identidem incidere. Hac enim via, ſi qua alia, hodie tot nouorum morborum ſpecies effingendae forent, quot paene aegri ſunt, cum nec morbi lateralis, vt hoc vtar, facies ſibi ſemper in ſingulis reſpondeat. Quemadmodum vero malus ille botanicus eſt, qui in quauis herbarum varietate nouam ſe cenſeat inueniſſe ſpeciem, ita etiam medicinae male conſultum foret, ſi quis ex ſingulis ſignis aut euentis, quae apud aegros non acciderunt aequabiliter, nouum morborum ordinem conſtituere anniteretur.

Huc etiam illud ipſum exemplum ſpectare videtur, quod de *catalepſi* ex CAELIO AVRELIANO a) quidam adducendum exiſtimarunt. Disſenſus enim nominum aut quorundam ſymptomatum nullo modo argumento eſſe poteſt, hanc CAELII catalepſin longe aliam eſſe, quam quae hodie fieri ſolet. Id vnum exinde vincitur, malum hoc varia ſub forma medentum operam eludere, vt in omnibus fere neruorum diſtenſionibus vſu venit, adeoque nominis haud raro ſignificatum eſſe multiplicem.

Sed quid, quaeſo, impedit, quo minus hunc morbum, quem ARETAEVS per *κέδματα* expreſſerat, apud CAELIVM b) communi *fluoris ſanguinis* nomine commemorari exiſtimemus? Qui cum varia eius genera ex veterum doctrina in medium protuliſſet, quae aut *eruptione* accidant, aut *putre-*

a) De Morb. Acut. II. 10. p. 95. ſequ. ed. *Amman.*
b) De Morb. Diut. II. 10. et 11. p. 390. ſequ.

putredine, aut *osculatione*, aut denique *expressione*; id quod ipse non, nisi *eruptione*, *vulneratione* atque *putredine* fieri posse putat; tandem in viscerum vasorumque affectorum numero *venam maiorem*, *quae spinae coniuncta est*, collocandam censuit, sanguinisque profluuium cum per os, tum per interanea fieri diserte docuit. Est porro perquam veri simile, verbis hisce: *Tubercula illa, quae* ERASISTRATVS *et Graeci condylomata vocant, quae visibus occurrunt, quae sunt similia haemorrhoidis, ex quibus sanguis fertur* cet. exprimi sine dubio atque significari ARETAEI *κέδματα*, adeoque, si quid video, ex asse respondere medicorum recentiorum *aneurysmati* videntur, praesertim cum ibidem et arteriae, et venae simul commemorentur.

Accedit et illud, quod id genus profluuia suo quaeque ordine ac magnitudine recensentur, atque maximam partem dicuntur difficulter sanabilia. *Vlceratione facti fluores*, inquit iterum CAELIVS c), *difficiles curatione ab iis, qui eruptione fuerint effecti, iudicantur, siquidem, transcenso atque praetermisso initio, nouitatis fructu caruerint, quo facilis glutinatio fieri solet. — Item ex occultis partibus venientes ab iis, qui proprias tenuerint partes. Etenim adhibita adiutoria occultis vel celatis partibus, vitiata suae virtutis sinceritate, perueniunt sanis primo locis excepta ac deinde transmissa. — Ii vero, qui ex hypozygo membrana fluores venerint, difficiles curatu iudicantur: et magis, si ex diaphragmate, — item ex arteria, hoc est, pulmonis calamo. Omnium praeterea maxime difficilis atque*

c) L. cit. c. 12. p. 397.

atque grauior curatione ex pulmone fluens accipitur, ob iuge ſpirationis officium cet.

Neque ſane dubia aut minus certa CAELII AVRELIANI fides eſſe debet, quod hunc *venae magnae morbum* non omni adhibita diligentia et accuratione expreſſerit. Ipſe enim nunquam id mali genus, de quo nos loquimur, obſeruaſſe videtur, quoniam ſemper haec addidit: *Vt quidam memorant, quoties ex maiori vena ferri dicitur* cet.

Qua de re cum iſta vaſa tot tamque variis iniuriis ſint obnoxia, vt multipliciter rumpi lacerarique poſſint, neque deſint ſanguini exitus varii, mirum profecto eſt, quod multi hac in rerum luce caecutire, quam veritati victas manus dare malint, aut etiam ad latentes quasdam cauſſas ac repugnantias, quae nusquam ſunt, illico confugere. *Sufficit enim,* inquit alio loco [d]) ipſe CAELIVS, *ad diſciplinam ſignificationis faciundae manifeſta comprobare.*

Sed reſtant adhuc alia virorum contrariam opinionem defendentium argumenta, quae paucis diluere ac confutare nobis liceat. Aiunt enim, neque de iecoris inflammatione ARETAEVM loqui, neque hinc, altera parte inflammata, alteram ſimul condolere, vllo modo ſequi. Recte quidem haec omnia, niſi hepar ab noſtro auctore [e]) ῥίζωσις φλεβῶν appellaretur, fierique poſſet facillimo negotio, vt quis in re tam graui et obſcura incurrat atque offendat. Perſpectum enim habent atque cogni-

d) Morb. Diut. V. 10. p. 587.

e) *Aretaeus* De Cauſſ. et Sign. Acut. Morb. II. 7. p. 19.

cognitum medici maximi, iique clariſſimi, quam fallacia viſcerum inflammatorum tumorumque latentium ſigna ſint; id quod nuper Illuſtr. VOGELIVS [f]) bene demonſtrauit; falluntur que hac in re identidem ſic, vt, vbi ad cadaueris ſectionem ventum eſt, longe aliam mali ſedem et cauſſam inueniant. Quod cum noſtra aetate haud raro vſu eueniat, ecquid mirum, ſi, quicquid de venae cauae inflammatione ARETAEVS habet, id certe repetendum exiſtimarit ab inferiore eius parte, quae abdomine continetur, neque tam difficilis cognitu, ſicuti iſta in thorace, putanda eſt. Neque tamen iecur nobis videtur tam immune ab inflammatione illa eſſe, ſi quod in vena caua vitium eſt, quippe, ALEXANDRO [g]) teſte, variae hepatis inflammati notae ſunt variique gradus, in quibus eminent *febris ardens*, *vomitus bilioſus et aeruginoſus*, *iuguli dolor*, *tuſſicula*, *ſepti transuerſi coarctatio*, *ſenſus grauitatis*, *dolor vehementiſſimus*, *ſi in tunicis aut ambientibus vaſis conſtiterit*, *tumor*, *animi defectio*, *corporis tenuatio et pallor*, *exindeque aqua intercus* cet. Tanta enim ſignorum ſimilitudo iecinoris ac venae cauae inflammationem intercedit, vt amplius dubitare nequeas.

Immo vero mala fide nuper cum aduerſario egiſſe videtur vir quidam auctoritatis atque doctrinae haud contemnendae. *Dicat igitur iam nobis aliquis cauſſam*, inquit ille, *cur de venae cauae, nec ſimul de arteriae hepaticae deque venae portae acuto morbo*

f) Opuſcul. Medic. Select. Diſſ. IX. §. 5. p. 248.

g) De Medic. L. VIII. 1. p. 388. ed. *Guinth.*

morbo scripserit ARETAEVS? *Cur vni venarum generi hoc tribuit, quod pluribus aut iunctim, aut separatim tribuere debuisset, si sedes morbi, quem descripsit, in iecore foret quaerenda?* Ecquis haec vnquam adfirmauit? Non enim latere poterat virum clarissimum, quanto cum studio et accuratione ARETAEVS vasorum, quae ab iecinore dimanant, consensionem, immo vero eorum inflammationem particulatim docuerit, adeoque nec vnquam fieri posse puto, vt, hepate immuni, vena caua sola laederetur. Quid? quod ipse ARETAEVS h) noster alio loco arteriae morbum commemorauit, qui inscribitur, *θεραπεία νωτιαίας φλεβὸς καὶ ἀρτηρίης ὀξείης νόσου*, et argumentum ipsum iterum hisce verbis incipit: *Τὴν τῆς κοίλης φλεβὸς φλεγμασίην καὶ παχείης ἀρτηρίης.* Illud enim nullo modo praetereundum videbatur, cum hac sola notatione omnis dubitationum vis pereat penitusque cadat. Porro neque ea semper in ARETAEO verborum accuratio quaerenda est, quam hodie sane ex diligentiori cadauerum lustratione hausimus, siquidem non quid debuisset scribere, sed quid per istorum temporum opportunitatem fieri potuit, cogitandum prae ceteris est. Magna profecto est eritque meritorum ARETAEI gloria, quod et venam portarum a vena caua bene seiunxit, et illius ipsius primordia duxit ab ipso iecinore, aliter ac multis nostrorum hominum videtur.

Equidem non is sum, qui, quicquid morborum vitae sanitatiue aduersum est, inde ab antiquissi-

h) De Curat. Acut. Morb. II. 7. p. 108. ed *Boerh.*

quiſſimis temporibus repetendum cenſeam, aut aduerſariis temere repugnem adſerentibus, *alios eſſe eiusdem ex aliis cauſſis effectus, et qui propter perpetuas naturae leges omne morbi genus apud omnes populos omni tempore reperiri debere opinentur, hos naturam ipſam cum eius pro animantium ſtatus et conditionis diuerſitate diuerſa vi et operatione aperte confundere.* Id vnum peruelim nobis illi concedant, multa morborum genera obſoleta videri aut noua, quae, mutato nomine, hodienum vſu eueniunt, adeoque nos haud pigeat iterum cum CAELIO AVRELIANO i) loqui. *Fieri poteſt*, inquit ille, *vt particulares vel ſpeciales paſſiones nouae fieri poſſint; generales autem vel principales, quarum dominio ceterae quaeque ſubiiciuntur, fieri nunquam poſſint.*

Quibus ſe ita habentibus, ARETAEI locum, quem hactenus multis percenſuimus, ſic explicemus neceſſe eſt, vt aliud valitudinis aduerſae genus κέδματα ſint, *quae cum varice rupta vel aneuryſmate prorſum conueniant*, aliud vero ipſa *venae cauae inflammatio*, quae ſimiliter, vt olim, ita etiam noſtra aetate infenſa vitae humanae eſt, vt ex BOERHAAVIO k), SWIETENIO l), LIEVTAVDIO m), aliisque ſatis ſuperque patet. In quo recte, an perperam verſati ſimus, penes TRILLEROS, KRATZESTEINIOS, atque optimos quosque medicos eſto iudicium.

IX. ASTHMA

i) Acut. Morb. III. 15. p. 226. ed. *Amman.*
k) De Cognoſcend. et Curand. Morb. Aph. 936.
l) Comment. ad h. l. p. 109. T. III. ed. *Hildburgh.*
m) Synopſ. Vniuerſ. Prax. Medic. p. 249. ed. *Amſt.*

IX.

ASTHMA PNEVMODES ARETAEI.

Alia morbi forma, cuius ARETAEVS [a]) meminit, ἄσθμα πνευμῶδες est, atque de illa nuper acris quaedam disceptatio inter viros doctos orta est, quorum alter cum haud paucis aetatis nostrae medicis censuit, *pertinere hunc morbum ad antiquatas humanae naturae leges, ad corporis vitia, quibus non, nisi maiores nostri fuerint vexati;* alter vero rationibus, iisque firmissimis fretus, illum *recentioribus non esse ignotum*, satis superque demonstrauit. Age igitur, liceat nobis iterum more sueto ARETAEI verba huc adscribere, vt tandem, a cuius partibus standum sit, cuicunque legentium liberum sit.

Ἄσθματος ἰδέη τὸ πνευμῶδες, καὶ ἀπὸ τοῦ πνεύμονος τὸ πάθος ὅπως ἐπ' ἄσθματι. ξυνὰ γὰρ καὶ τὰ παρέοντα· σμικρὸν δὲ καὶ τὸ διάφορον. δύσπνοια μὲν γὰρ, καὶ βὴξ, καὶ ἀγρυπνίη, καὶ θέρμη ξυνά· καὶ ἀποσιτίη, καὶ ἰσχνότης ὅλου. καὶ γὰρ αἰσχρὸν ὂν τὸ κακὸν ἀποτείνεται, πλὴν οὐ περαιτέρω ἑνὸς ἔτεος.

Asthmatis species est τὸ πνευμῶδες, et a pulmone hoc vitium, quemadmodum et anhelitus oritur. Quae insunt enim, vtrique communia sunt, et exigua differentia est. Nam spirandi angustia, et tussis, et vigilia, et caliditas, vtrumque vitium comitantur. Item in cibos odium, et totius corporis extenuatio. Id enim malum cum foedum sit, producitur, neque tamen anni spatium excedit.

Nam

a) De Sign. et Causs. Diut. Morb. I. 12. p. 41. sequ. ed. *Boerh.*

ἤντε γὰρ τὸ μετόπωρον ἄρξῃ, εἰς τὸ ἔαρ ἢ τὸ θέρος ἀπογίγνονται· ἤντε χειμὼν, ἐς τὸ μετόπωρον τελευτῶσι τὸν βίον. ποτὲ γὰρ καὶ γέροντες ἁλῶναι εὐήθιοι καὶ ἀπέφρικτοι, ἁλόντες ὅσον βραχείης ῥοπῆς, ἐς εὐνὴν θανάτου χρέος. ἄγχιστα ἅπαντες ἄπνοιοι, σφυγμοὶ σμικροὶ, πυκνοὶ, ἀμυδροί. ἀλλὰ τάδε μὲν ξυνὰ πρὸς τὸ ἄσθμα· ἴδια δὲ ἀναβήσσουσι ὡς ἀνάξοντες. ματαιοπονέουσι δέ· οὐδὲν γὰρ ἀνάγουσι. εἰ δέ τι τοῦ πλεύμονος ἀποῤῥαγείη βίῃ, σμικρὸν, λευκὸν, στρογγύλον, χαλαζῶδες· θώρηξ εὐρύτερος μὲν, ἀδιάστροφος, ἠδὲ ἀνέλκωτος. ἢν δὲ ἀνεκπύητος ὁ πνεύμων ἦ, ὑγρῶν δὲ ὁκοίων τὶ πεπηγότων ἔμπλεως, διαλήψιες τῶν παροξυσμῶν τοῦδε μείζονες. οἱ μὲν οὖν ἀπεπνίγησαν θᾶσσον, πρίν τι κάκιον ἐς τὸ πᾶν ἀποσκῆψαι. μετεξετέροισι δὲ ἐς ὕδερον περὶ λαγόνα ἢ ἀνασάρκα τὸ πάθος τελευτᾷ.

Nam ſi autumni tempore aegrotare quis inceperit, vere aut aeſtate futura vitam finiet: Sin hieme, ſequenti autumno moriturus eſt. Interdum et ſenes in hanc labem facile incidunt, et exterriti. Ea correptis, leui momento ad perniciem opus eſt. Omnes ſimillime ſpiratione priuantur: arteriarum motus parui, crebri, infirmi ſunt. Sed haec et in anhelitu reperiuntur, priuatim vero hi tuſſiunt, tanquam aliquid expulſuri, cum tamen irritus eorum labor ſit: *(nihil enim reiiciunt)* verum ſi quid ex pulmone vi extruditur, illud exiguum, album, rotundum, grandinoſumque eſt. Pectus in his latius vtique eſt, non obtortum, non vlceratum. Tametſi autem pulmo non ſuppurat, humorum tamen, veluti concretorum, plenus eſt, temporis intercapedines inter huiusce morbi acceſſiones longiores ſunt. Nonnulli ex his celerius ſuffocati ſunt, quam aliquid deterius omne corpus inuaſerit: nonnullis vero in hydropem circa ilia aut in eum, qui ἀνασάρκα dicitur, morbus iſte mutatur ac definit.

Continetur hifce ARETAEI verbis vera profecto anhelitus imago atque fpecies longe dirisfima quae hodienum obtinet, etfi mutato nomine, neque equidem vfquam video, qua ratione hoc valitudinis aduerfae genus a viris clariffimis potuerit in obfoletis collocari. Conueniunt enim omnia omnino figna *afthmatis pneumodis et fcirrhofi* inter fe admirabiliter, debenturque, ARETAEO tefte, pulmoni fic, vt πλεῦμος GALENO b) idem fit, quod φθοὴ, ἢ τὸ πλευμῶδες πάθος. Quod fi verum eft, fequitur, primariam afthmatis pneumodis cauffam atque fedem non, nifi a pulmone repeti oportere, adeoque quandam eius formam peculiarem effe. Hinc nec ὀρθόπνοια eft, quam paullo ante ad viuum ARETAEVS nofter expreſſerat; neque *afthma flatulentum*, vt aduerfariis videtur, quia longe alia eius figna et euentus funt; neque etiam *tuberculum crudum* effe poteft, fiquidem diverfa cum apud HIPPOCRATEM c), atque GALENVM

b) Exegef. Obfolet. Voc. *Hipp.* p. 99. T. II. ed. *Chart.*

c) L. De Morb. I. §. 14. p. 18. T. II. ed. *Lind.* et L. cit. II. §. 55. p. 81. vbi φύμα ἐν τῷ πλεύμονι dicitur intra quatuordecim dies inflammari ac fuppurari, interdum etiam per anni fpatium protrahi. At illud ἆσθμα πνευμῶδες, quod *Aretaeus* defcripferat, nec pus adiunctum habet, nec ὀρθόπνοιαν, neque dolorem vehementem cet. Similiter illud φύμα τȣ̃ πλευρȣ̃, quod *Hippocrates* (l. cit. §. 59. p. 84. et L. De Intern. Affect. §. 10. p. 207. T. II.) commemorat, hoc afthma nullo modo effe poteft, cum longe alia morbi fit facies, etfi negare non aufim, a tuberculis hifce hydropem oriri poffe, vt L. De Intern. Affect. §. 25. p. 226. legitur, aut etiam στενωχωρίαν et ὀρθόπνοιαν effici, vt *Alexandro* (L. V. 3. p. 242. ed. *Guinth.*) vifum eft. Cf. *Akakiae* Comment. in *Galeni* Art.

LENVM d), tum apud ALEXANDRVM TRALLIANVM e), cauſſarum et ſymptomatum notatio eſt, maximeque illud cum ſuppuratione eſſe dicitur, quam ab hoc anhelitus genere procul abeſſe iuſſerat ARETAEVS. Accedit et illud, quod ſigna huius aſthmatis propria, quae *tuſſis ſicca*, *moleſta*, *irrita*, nec non *ſputum paruum*, *album*, *rotundum* atque *grandinoſum* (χαλαζῶδες) ſunt, amplius dubitari non poteſt, eſſe hoc morbi genus idem illud *aſthma ſcirrhoſum*, quod hodie in ſcholis ſic appellatur. Etenim haec pulmonis vitia ſimilitudo tanta intercedit, vt, quid magis conueniat, prorſum equidem ignorem. Neque hic longis verborum ambagibus opus eſſe videtur, partim

O 3 quia

Art. Paru. p. 295. vbi praeter ea, quae tuberculum crudum cum reliquis pulmonum vitiis habet communia, ſignum primarium quaſique proprium eſſe perhibetur, *quod nulla aut inflammatio, aut eryſipelas praeceſſit.* Porro commemoratur apud *Sauuageſium* (Noſolog. Method. T. II. P. II. p. 162.) *dyſpnoea*, quae a tuberculis ſine vllo ſputo naſcitur, eique *phthiſis ſicca* (l. cit. T. III. P. II. p. 269.) idem eſſe videtur, quod tuberculum crudum apud *Hippocratem;* at vero *phthiſis calculoſa*, (l. cit. T. III. P. II. p. 276.) quae aſthmati humido debeatur, cum hac noſtra ſpecie, quam *Aretaeus* attulerat, prorſus conuenire. Id quod vt ſatis vere ac ex veterum ſcriptorum ſententia factum ſit, vehementer vereor.

d) L. Reſpirat. Difficult. II. 7. p. 255. T. VII. Omnium autem maxime L. De Loc. Affect. IV. 11. p. 474. T. VII. potiora *Galeno* videntur ſigna *tuberculi crudi* eſſe *difficultas reſpirationis ſine vllo ſtertore* Sin vero idem cum ſtertore ſit, a lentis viſcidisque humoribus repeti oportere auctor eſt.

e) De Re Medic. V. 3. p. 242. ed. *Guinth.*

quia in argumento illo demonſtrando praeclare ante nos verſatus BALDINGERVS [f]) V. Cl. eſt, partim quia idem *ſputum grandinoſum*, quod, teſte ARETAEO, ad hunc morbum ſignificandum prae ceteris pertinet, commemorarunt inter veteres GALENVS [g]), ALEXANDER TRALLIANVS [h]) atque PAVLLVS [i]), inter recentiores autem FERNELIVS [k]) LOMMIVS [l]), BERN. VERZASCHA [m]), DAN. SENNERTVS [n]), ABRAH. VATERVS [o]), MORGAGNIVS [p]), SAVVAGESIVS [q]), innumerique

f) Progr. *Aretaei aſthma pneumodes recentioribus non eſſe ignotum*, p. 7. ſequ. Prodiit vero illud *Ienae* 1772.

g) L. De Loc. Affect. IV. 11. p. 477. T. VII. ed. *Chart.* Ibidem enim ſe vidiſſe ait hominem, *qui diuturna tuſſi vexatus, et exiguum lentumque exſpuens, fruſtum quoddam paruo grandinis grano* (χαλαζίῳ μικρῷ παραπλήσιον) *conſimile exſcreauit, ac deferens ei oſtendit, atque rurſus non multos poſt dies aliud* rel. Paullo poſt vero addit: *Ceterum grandines magna ex parte erui magnitudinem aequabant, interdum maiores, vt et minores* cet.

h) L. cit. V. 4. p. 243. vbi hoc vitium expreſſe a phymate ſiue tuberculo crudo ſeiungitur.

i) De Re Medic. III. 28. p. 447. et c. 31. p. 451. Coll. *Steph.*

k) Patholog. V. 10. p. 549. ed. quint. *Frft.* 1593.

l) Obſeruat. Medicinal. p. 138. ed. *Ien.*

m) Obſeru. Medic. Cent. I. Obſ. 17. p. 44. ed. *Baſil.* 1677.

n) Medicin. Practic. L. II. P. II. c. 7. p. 188. ed. tert. et Inſtitut. Med. L. II. P. II. c. 9. p. 250. ſeq. quo in loco multa *Sennertus*, vt ſolet, in vſum medicorum collegit.

o) Diſſ. De Calc. in Loc. inuſitat. natis, p. 19.

p) De Sedib. et Cauſſ. Morb. Epiſt. XV. Art. 17. ſequ. p. 133. ed. *Venet.*

q) Noſolog. Method. T. II. P. II. p. 180. quo in loco ille perhibet, hoc mali genus in animantibus brutis ſaepius

rique alii, quos omnes omnino adducere nec lubet, nec necesse est, praesertim si attentius perlegatur LAVR. HEISTERI r) dissertatio, qua quicquid aut ad huius asthmatis scirrhosi naturam et indolem describendam, aut ad dubitationes aliter sentientium refellendas vllo modo pertineat, vere reique apposite demonstratur.

In tanta igitur signorum euentorumque consensione, quae ARETAEI ἄσθμα πνευμῶδες atque recentiorum medicorum *asthma scirrhosum* intercedit, ecquis est tam durus atque incredulus, vt, nomine mutato, idem morbi genus esse audacter neget atque perneget? Bene hinc et argumenti digni-

O 4 tati

pius accidere, in hominibus contra rarius. Qua in re quantopere errarit, ex *Morgagnii* fide ac testimonio pluribus docuit *Baldingerus*, vir clarissimus nostrique amicissimus, l. cit. p. 8. At vero *dyspnoea calculosa*, cuius alio loco *Sauuagesius* (l. c. p. 162.) meminit, et *asthma pneumodes Aretaei*, videntur nobis certe vnus idemque morbus esse, etsi eos suo more seorsim pertractauit. Etenim insunt illi similiter *respiratio parua et frequens*, *sitis continua*, *sputum paucum*, et in pulmone post mortem *lapilli minuti*, *friabiles*, *casei veteris fragmentis similes*, immo vero interdum *calculi gypsei expectorati sunt.* Cf. si placet, *Galenum* L. De Symptom. Cauff. II. 4. p. 72. T. VII. ed. *Chart.* Ibi enim describitur quoddam *tussis* genus, quod plurimi, iique longe clarissimi sectae pneumaticae medici, cum maxime *Athenaeus*, adduxerant, in eaque similiter, vt in *Aretaei* asthmate pneumode, *nullum sputum* reiici solere dicitur. Quae vtrum inter se satis conueniant, nec ne, equidem adfirmare non ausim, siquidem tussis huius a *Galeno* non, nisi obiter et tanquam in transitu facta est mentio.

r) Diss. De Asthmate Scirrhoso, *Helmst.* 1749.

tati apposite Ill. BALDINGERVS [s]): *Neque pulsus,* inquit, *neque exitus morbi, nimirum in hydropem, antiquatas naturae leges prodit; Nam sunt symptomata, quae quotidie nostris temporibus obseruantur, et asthmatis naturam ac indolem constituunt. Senibus vero familiare esse debet vitium. Nam rigida sunt horum solida, et facile spissescunt, atque in lapillos condensantur humores. Non desunt vero exempla, in iunioribus etiam animalibus, et hominibus, et brutis, morbosas indurationes adfuisse.* Sed de *asthmate pneumode* ARETAEI hactenus.

X.

VENA MEDINENSIS.

Vltimum restat morborum genus, in quo quaedam est nominis repugnantia, signorum vero similitudo maxima. Dicitur hoc corporis vitium apud Arabes barbarosque medicos *Vena Medinensis* [a]), *Vena egrediens* [b]), *Vena exiens* [c]), *Vena ciuilis* [d]), eamque alii pro *pedesellis* habent, vt NATALIS MONTESAVRVS [e]), alii vero, negant ac pernegant, quorum in numero fuit ANTON. SCANAROLVS

s) L. cit. p. 8.

a) *Auicenna* Canon. L. IV. Fen. III. Tract. 2. c. 21. p. 132. T. II. ed. *Iunt.* 1595.

b) *Franc. Pedemont.* De Apostem. Sanguin. Sect. II. P. II. Summ. I. c. 7. p. 185. b. ad calc. *Opp. Mesue.*

c) *Alsaharauius* Practic. Tract. XXVIII. c. 12. fol. 118.

d) *Rhases* ad *Almansor.* De Re Medic. L. VII. 24. p. 179. ed. *Basil.* 1544.

e) De Morbo Gall. c. 2. p. 101. T. I. Coll. *Luisin.*

ROLVS [f]), idque recte, vt nobis videtur. Seorſim enim pedeſellos recenſuit AVENZOAR [g]). Neque porro confundenda cum *vitibus* ſ. *tortura vena* eſt, quae ſecundum ALSAHARAVIVM [h]) et ALBVCASEN [i]) videntur *crurum* eſſe *varices*, neque etiam cum *morbo bouino* [k]), qui bobus cum maxime accidit, et, tanquam vermis, in omni cute vagari credebatur. Multo minus ii audiendi ſunt, quibus *grando ſuum* videtur veterum dracunculo, *quem Maurorum familia venam Meden* appellat, ſatis ſuperque reſpondere, vt IO. IAC. ALBERTVS [l]) ſenſerat, neque vero qui taedioſam veri inquiſitionem ac inueſtigationem detrectantes novum hoc morbi genus, medicisque graecis incognitum fuiſſe clamitant, etſi hac ſola re, quam in veterum ſcriptis hoſpites ac peregrini ſint, vel inviti profitentur.

Eſt enim in deſcribenda *vena Medinenſi* omnium Arabum longe diligentiſſimus et accuratiſſimus AVICENNA [m]). *Eſt, vt accidat*, inquit, *ſuper partem corporis puſtula quaedam, inflans deinde veſicat,*

O 5 *poſtea*

f) De Morb. Gall. p. 116. Coll. cit.

g) Rectificat. Medicat. et Regim. L. II. Tract. VII. c. 18. p. 32. b.

h) Practic. Tract. XXVIII. c. 10. fol. 110.

i) Method. Medend. L. II. 90. p. 160.

k) *Alſaharau.* l. c. Sect. II. c. 11. fol. 82. b. et *Albucaſe.* l. c. c. 92. p. 163.

l) Qu. *An et quid grandini in ſue cum ſcorbuto in hom. ſit commercii*, p. 306. ad calc. Coll. *Sennert. De Scorbuto.*

m) L. ſupra cit.

poſtea egreditur ex eo quiddam rubeum, ad nigredinem decliue; deinde non ceſſat prolongari, et prolongatur, et fortaſſe eſt ei motus voluntarius ſub cute, ac ſi eſſet motus animalis, et quaſi in veritate ſit vermis; donec exiſtiment quidam, quod ſit animal, quod generatur, et exiſtimat quidam, quod ſit ramus villi nerui per vehementiam groſſitudinis. Et plurimum quidem accidit in cruribus, et ego iam vidi eam ſuper manus, et ſuper latus, et multiplicatur in infantibus ſuper vtrumque latus. Et quando extenditur et abſcinditur, magnificatur in eo labor et dolor: immo per ſpatium dolet, et ſi non incidatur. Et GALENVS *quidem dixit, quod non fuit comprehenſum ex eſſe eius aliquid manifeſtum, ſuper quod ſit innitendum, quoniam ipſe non vidit eam omnino. — Quanto plus fuerit materia, a qua generatur, acutior, erit dolor vehementior. Et fortaſſe accidet in corpore vno in locis quaſi quadraginta eius, aut quinquaginta, ex qua tamen euadet cum curatione. Et minoratur in corporibus humidis et adſuetis balneationibus, et cibis humidis, et aſſuetis vino cum menſura. Et plurimum quidem generatur in Medena, et propter hoc proportionatur ei, et generatur etiam in terra Coraſceni, et aliis, et multiplicatur iterum in terra Aegypti, et in terris aliis.* — Hactenus AVICENNA. Similiter vero omnes fere reliqui Arabes ac barbari medici hoc de morbo eiusque curatione cenſuerunt, quae cum maxime in ſtringenda vena plumbeaeque molis appoſitu verſatur. Eminent hoc in numero ALBVCASE n), ALSAHARAVIVS o), RHA-

n) Method. Med. II. 91. p. 162. ed. *Baſil.* 1541.

o) Practic. Tract. XXVIII. c. 12. fol. 118.

RHASES p), AVENZOAR q), FRANCISC. PEDEMONTANVS r), alii.

Eſt vero *vena Medinenſis* quoddam vlceris puſtuloſi genus, quod in regionibus calidis et ſiccis, Arabia, Aethiopia, India et Aegypto, ex roſione vermis naſcitur, quem Ill. LINNEVS s) appellat *gordium Medinenſem*, atque figuris exprimunt WELSCHIVS ss), SLOANE t), ANDRY tt), rel. Solet vero ille prae ceteris crura, interdum etiam brachia, manus, latera et pedes hominum, maximeque infantum, qui prauis ſuccis ſcatent, miſere infeſtare. Oritur in parte affecta dolor vehemens, vt hac de re addiderit AVENZOAR: *Moritur aeger in continenti.* Sequitur inflammatio, tumor, abſceſſus veſicae in modum elatus, atque demum inde egreditur, ALSAHARAVIO teſte, *vena ad modum ſubtilis chordae*, aut vt ALBVCASE expreſſit, *quaſi ſit radix plantae, aut animal*, aut ſecundum AVENZOAR, *aliquid ad ſimilitudinem nerui*, aut denique ex AVICENNAE deſcriptione, *quiddam rubeum, ad nigredinem decliue, et quaſi ramus villi nerui*, idque variae quidem magnitudinis, ſic, vt apud ALBVCASEN vermis

p) L. cit.

q) Rectif. Medic. et Reg. II. Tr. VII. c. 19. p. 32. b. ex transl. Mag. *Parauicii* Phyſici.

r) L. ſupra cit.

s) Syſtem. Nat. Claſſ. VI. 275. 3. p. 194. T. I. ed. *Becm.*

ss) Diſſ. De Vena Medinenſ. ſ. Dracunc. Vet. p. 309.

t) Voyage of Jamaica T. II. p. 190. Tab. 233. Fig. 1.

tt) De la generation des vers dans le corps de l'homme, p. 17.

vermis *quinque palmorum et decem*, immo vero *viginti palmorum in viro* quodam obſeruatus eſſe perhibeatur.

Neque abſimiliter morbum hunc grauem et pruriginoſum nuper deſcripſerunt LINDIVS[u]) et cum primis DAV. HENR. GALLANDAT[uu]). *Incipit*, inquit ille, *a tumore inflammatorio, qui plerumque ab ordinario furunculo nihil differt: Adiuncta habet eadem ſymptomata, ſemperque ſuppurationis via terminatur. Fit apertura, qua exit maior minorue puris quantitas, ſimulque corpus quoddam longum, rotundum, flexile, albicans, funiculi ſpeciem figura et craſſitie referens; quod corpus eſt organicum ac viuum, verboque vt dicam, verus mirae longitudinis vermis, cui inditum fuit nomen* dracunculi. *Hoc animal, quod plerumque octo, nouem decemue, immo et duodecim pedum longitudinem aequat, attrahitur prudentiſſime, voluiturque circum laminam ligneam, vt facilius exeat. Extrahitur autem ſenſim, magisque ac magis, quoties renouatur deligatio; ſed adhibita ſumma cautela, ne diſcindatur. Si enim diſcideris, periclitatur vita aegroti. Sin autem extraxeris integrum, nulla ſequentur ſymptomata maligna: Vulnus coaleſcet propediem, aegerque ad priſtinam redibit ſanitatem.* Hactenus vir clariſſimus

u) Verſuch über die Krankheit. der Europ. in heiſs. Klimat. T. I. Abſchn. II. Cap. II. p. 52. vbi et deſcriptio mali huius atque curationis via naturae veterumque placitis ſatis reſpondet, et ex *Rouppio* aduerſus contrariae opinionis patronos breuiter adſeritur, idem illud contagione quadam propagari.

uu) Diſſ. De Dracunculo ſ. Vena Medinenſi §. 2. p. 105. ſequ. in Append. Nou. Act. Nat. Cur. T. V.

rissimus. Cuius libellum si attente perlegeris, invenies certe, morbi huius caussam, symptomata, signa et medendi viam bene naturaeque accommodate fuisse explicitam.

Quibus ita se habentibus, perperam profecto ii fecisse videntur, qui hoc valitudinis aduersae genus nouum atque Graecis incognitum fuisse sibi in animum induxerant. Praeter AVICENNAE enim testimonium huius morbi iam meminit GALENVS [v]) et ad viuum descripsit *dracunculi tibiarum* nomine; quem etsi nunquam ipse viderat, adeoque cuncta eius signa titubante quasi calamo expresserat, tamen in quadam Arabiae regione frequentiorem eum esse auctor est. *Δρακόντιόν ἐστιν ἕλκος φορὰν ἐπ' αὐτὸ ἔχον νεύρου ἀπὸ τοῦ πλησίον μέρους. εἴρηται δὲ δρακόντιον, ἐπεὶ ἐν ταῖς κινήσεσιν ἀναχωρεῖ τὸ νεῦρον ἐπὶ τὸ ἕλκος, καὶ κρύπτεται ἐν αὐτῷ. Dracunculus est vlcus, quod a parte propinqua ad ipsum nerui delationem habet. Dictus autem est, quod neruus mouendo corpore in vlcus recedat, in eoque occultetur.* Alio vero loco [vv]) hi *dracunculi varicibus similes esse, et magnum dolorem, dum paullulum prominentes mouentur, concitare,* immo vero eodem, quo varices, modo persanandos illos GALENVS auctor est. Neque ab hac sententia alienus

v) Definit. Medic. n. 437. p. 276. et Introduct. c. 18. p. 393. T. II. ed. *Chart.* appellatur hoc vitium δρακοντίασις. Cf. L. De Loc. Affect. VI. 3. p. 510. T. VII. vbi illi *dracunculi* dicuntur *natura neruosi, colore crassitudineque lumbricis similes.*

vv) Introduct. c. 19. p. 397.

alienus POLLVX [w]) fuit. Eſt enim ei δρακόντιον ἐκ τῶν περὶ κνήμας καὶ μηροὺς ἑλκῶν ἐκπίπτον τι νευρῶδες ἐφθαρμένον, σπανίως μὲν τοῖς ἄλλοις ἐπιγιγνόμενον, αἰθίοψι δὲ ἐνοχλοῦν. *Dracontium neruoſum quiddam corruptumque ex tibiarum femorumque vlceribus excidens, raro quidem alios, Aethiopes vero frequenter infeſtans.*

At vero, inquiunt aduerſarii, haec rumore dubiisque auctoribus ad GALENI aures peruenerant, atque quam incertae id genus narratiunculae ſint, inter omnes conſtat. Non iniucunda mehercle aut ſuperflua haec eorum dubitatio eſt, cum in veri inquiſitione ac inueſtigatione omnis adhibenda ſit opera, ne alicubi offendas atque incurras. Habemus vero praeterea teſtes locupletiſſimos LEONIDAM apud AETIVM [ww]) atque PAVLLVM [x]) ipſum; Qui vbi ad dracunculum ventum erat, hoc morbi genus ea, qua ſolet, diligentia et accurratione deſcripſit, vt ne latum quidem vnguem ab Arabum notatione deflexiſſe cenſendus ſit. *In India et regionibus ſupra Aegyptum*, inquit PAVLLVS, *dracunculi* (τὰ λεγόμενα δρακόντια) *generantur, velut lumbricis ſimilia animalcula quaedam,* (καθάπερ ἑλμινθώδη τινα ζῶα) *in muſculoſis partibus, brachiis videlicet, femoribus, tibiis: in pueris vero etiam in lateribus ſub cute conſiſtunt, et manifeſte mouentur. Deinde temporis progreſſu diuturniore, iuxta dra-*

w) Onomaſt. L. IV. c. 4. p. 223. ed. *Seber.*

ww) Tetrabl. IV. Serm. II. c. 85. p. 736. Coll. *Steph.*

x) De Re Medic. IV. 59. p. 534. Coll. cit. et ed. gr. p. 159.

dracunculi aliquam extremitatem, locus ſuppuratur, et, aperta cute, principium dracunculi foras procedit. Verum dum attrahitur, dolores inducit, et praeſertim, vbi abruptus fuerit. Quapropter aliqui plumbeam molem ex dracunculo ſuſpendendam eſſe dicunt, vt ne acervatim, ſed particulatim, ex plumbi mole delapſio ipſius fiat. Alii hos damnantes, eo, quod nihilo minus ex pondere plumbi dracunculus abrumpatur, et vehementes dolores inducat, iubent partem demittere in aquam calidam, quo dracunculus ex caloris fomento foras procedat, atque ita digitis ipſum particulatim extrahere. Ceterum Soranus, neque omnino animal, ſed nervi alicuius concretionem dracunculum eſſe putat, qui opinionem ſolum inducat, quod moueatur. Siue autem hoc ſit, ſiue prius illud, vt Sorano et Leonidae, et aliis viſum eſt, affuſione calidae et cataplaſmatis concoctoriis in his vtendum eſſe, quae ex aqua mulſa, et farina triticea, aut hordeacea parentur. Sed et emplaſtra eiusdem facultatis vſum quandoque probant. Commodum autem fuerit et id, quod ex baccis lauri, et quod ex melle conſtat. Nam ex horum vſum dracunculus, ſiue corpuſculum illud contentum, mortificatur, et excidit: Suppuratione vero contingente, ſi non exciderit, diſſecetur cutis, et denudatum id, quod continetur, auferatur, et linamenta indantur, et deinceps ſuppuratoria curatio adhibeatur. Hactenus praeclare PAVLLVS.

Qua dracunculi imagine, an quid venae Medinenſi ſimilius ſit, dubitaturum amplius puto neminem. Neque etiam dubitauit IO. FREINDIVS xx);
magnum

xx) Hiſt. de Medecin. p. 20. ſequ. verſ. gall.

magnum nuper artis noſtrae decus et ornamentum. Etenim et ſigna morbi, et curationis via ita inter ſe conueniunt, vt, mutato dracontii nomine, ac Arabe quodam fronti capitis praepoſito, venae Medinenſis deſcriptionem legere tibi videaris. Neque certe PAVLLI aetas vllo modo repugnat, qui cum recentior multo reliquis ſit, optima quaeque ab Arabibus repetere potuerit. Fac enim, id vnquam vſu eueniſſe, etſi, ſi dicendum, quod res eſt, nusquam in eius ſcriptis veſtigium quoddam me reperiſſe memini, quid GALENI auctoritati faciundum eſt? Aut quare SORANO et LEONIDAE, de dracunculi forma et medendi ratione diſputantibus, fidem temere derogemus?

Sed in natura mali huius definienda boni hi viri ſimiliter, vt Arabum medicorum optimi quique, vehementer erraſſe cenſendi ſunt. Non enim illud a neruo quodam, ſed vero verme proficiſcitur, noſtraque aetate etiamnum ſimiliter fieri ſolet, vt ANTON. SCANAROLVS y), ENGELBR. KAEMPFERVS yy), SAVVAGESIVS z), CARTHEVSERVS a), VOGELIVS b), alii multi demon-

y) De Morb. Gallic. p. 116. T. I. Coll. *Luiſin.* vbi falſa ſimul iſtorum temporum refellitur opinio, venam Medinenſem eſſe luem gallicam.

yy) Amoenitat. Exotic. p. 526. ſeq.

z) Noſolog. Method. T. III. P. II. p. 422.

a) De Morb. Endem. p. 207.

b) Prael. Academ. De Cognoſc. et Cur. Praecip. C. H. Affect. §. 727. p. 641.

monſtrarunt. Neque adeo GVIDO de CAVLIACO c) MANARDVS et IO. HEVRNIVS d) audiendi ſunt, qui hoc mali genus aut ad *varices* referunt, aut *ex vredine ſucci craſſi* repetunt, aut denique pro *tumore tibias occupante, colore ac craſſitudine lumbricis* ſimili, hoc eſt *tereti et longo* venditant. Demonſtrauit enim non ita pridem Ill. NIEBVHRIVS e), Arabes hunc morbum a verme aquisque ſtagnantibus repetere, eandem medendi viam ac rationem, quam AVICENNA reliquique medici docuerant ad eum explicandum etiamnum adhibere, ne qua reſolutio aut gangraena ſubnaſcatur, ſicque haud raro plures ſimul tollere. Id quod in Perſia et America, vt CHARDINVS f) et DAMPIERS g) memoriae prodiderunt, non ita euenit, quippe hic non, niſi vnus gigni ſolet.

Hinc in eam ingredior ſententiam, hoc morbi genus, quod *vena Medinenſis* et *dracunculus* appellatur non, niſi nomine differre, nec graecos quidem latinosue medicos latuiſſe vnquam, quicquid alii contra dicant. Sed haec hactenus.

Ex his enim, quae adhuc diſputauimus, facile conficitur, priſtinas naturae leges penitus antiquatas non eſſe, ſed ea omnino morborum genera,

c) Chirurg. Tract. II. c. 8. p. 129. ſequ. ed. *Lugd.* 1572.

d) Ep. De Morb. Nou. et Mirand. p. 98. ſequ. T. II. *Opp.*

e) Beſchreib. von Arabien p. 133. ſequ.

f) Voïages en Perſe, p. 213. T. II.

g) Voïages, p. 340. ſeq. T. III.

nera, quae passim a veteribus commemorantur, hodieque vitam mortalium similiter demetere, etsi latenter id haud raro fiat variaque sub forma, sic, vt minus cautos medicos facile fallant atque in errorem inducant. Quod argumentum vt est dignitatis vtilitatisque maximae, ita etiam, si illud curatius recensere vellemus, et breuitatis limites, quos nobis ipse constitueramus, sine dubio excederemus, et in legentium scientiam videremur iniurii, immemores profecto illius apud SENECAM h): *Enumerare omnes fatorum vias, longum est. Hoc vnum scio, omnia mortalium opera mortalitate damnata sunt: Inter peritura viuimus.*

h) Ep. 91. p. 370. T. II. ed. *Lips.*



SECTIO



SECTIO III.

DE QVIBVSDAM MORBORVM GENERIBVS, QVORVM NOMEN ET SIGNA APVD VETERES AC RECENTIORES MEDICOS PRORSVM CONVENIVNT.

Cogitanti mihi veterum medicorum diligentiem et accurationem, quam in obseruandis morborum signis ac caussis adhibuerunt, iniurii profecto in istorum manes omnium maxime ii esse videntur, qui ex *Paracelsorum* et *Helmontiorum* more meritis aliorum inuident sic, vt aut in furorem agantur, quoties priscorum hominum studia dignissimis efferantur encomiis, aut etiam in risum atque cachinnos proni sint, si quem puluerulentis eorum libris perceperint impallescere. Quorum peruersa ratio vt virum probum dedecet, ita etiam omnem experientiae ac vsus vim tollit. Homines enim isti, quos indicta caussa, neglectisque illorum litteris, reprobant, omnis praeclarae veraeque medicinae duces ac coryphaei sunt, fuerunt, erunt, eorumque fides et auctori-

tas tunc certe maxima cernitur, ſi, quam, legendis eorum monimentis, contraxeras in ſentiendo ac iudicando ſtabilitatem atque conſtantiam, ea demum ad aegrorum lectulos in vſum vocanda eſt. Accidit id, ni fallor, magnis quibusque viris, qui ab hoc veterum amore veraeque ſapientiae ſtudio *Hippocratici* appellati ſunt, BALLONIIS, SYDENHAMIIS, BAGLIVIS, MEADIIS, BOERHAAVIIS, SWIETENIIS, FREINDIIS, HOFFMANNIS, WERLHOFIIS, HAENIIS, TRILLERIS, HALLERIS, BRENDELIIS, RICHTERIS, TISSOTIS, ZIMMERMANNIS, BALDINGERIS cet. Quorum ſcripta ſi legeris attentius, non poteris non, vnde et a quibus magiſtris profecerint, facile peruidere.

Varia adhuc morborum genera recenſuimus, quae aut prorſum latuerunt veteres, aut ſaltem mutato nomine, hodieque vitae ſanitatiue infenſa ſunt. Reliquum eſt, vt ex inſtituto noſtro paucis videamus, in quibus morbis et veteres et recentiores medici prorſum conuenire videantur. Succurrunt vero tot conſenſionis huius exempla, vt, vnde incipiam, ignorem, et tempus me prius deficeret, quam materia, ſi his enumerandis diutius vellemus et ex merito inhaerere. Sed quia iam in antegreſſis fortaſſe nimius fuiſſe videar, haec qualiacunque placet adducere, ne hanc noſtri libelli partem ſicco, quod aiunt, pede tranſiiſſe videar.

I. ΛΥΚΑΩΝ,

I.

ΛΥΚΑΩΝ, INSANIA LVPINA S. CANINA.

Eſt quaedam apud veteres melancholiae ſpecies, quae *λυκάων* appellatur, vel *inſania lupina* ſ. *canina*, de qua ſic ceciniſſe multis videtur VIRGILIVS a):

Vidi ego ſaepe lupum fieri, et ſe condere ſiluis
Moerim.

Neque abſimilis illa BELLEROPHONTIS imago apud poetam b) eſt:

Ἤτοι ὁ κὰκπεδίον τὸ Ἀλήϊον οἶος ἀλᾶτο,
Ὃν θυμὸν κατέδων πάτον ἀνθρώπων ἀλεείνων·
Qui miſer in campis errabat ſolus Aleis,
Ipſe ſuum cor edens, hominum veſtigia vitans.

Meminerunt horrendi huius morbi CAELIVS AVRELIANVS c), ORIBASIVS d), AETIVS e), PAVLLVS ee) cet. eiusque ſigna ſic deſcribit prae ceteris MARCELLVS EMPIRICVS. *Februario menſe*, aut etiam *quacunque nocte exeunt, per omnia, imitantes lupos aut canes, et vſque ad diem monimenta maxime aperiunt. — Pallidi ſunt et viſu imbecilli, et oculos ſiccos habent, hebetes, et non illacrymantes, et* conca-

a) Eclog. VIII. v. 97. ſequ.
b) Ap. *Galen.* Introduct. c. 13. p. 381. T. II. ed. *Chart.*
c) Morb. Acut. III. 9. p. 218. ed. *Amm.*
d) Synopſ. VIII. 10. p. 123. Coll. *Steph.*
e) Tetrabl. II. Ser. II. c. 11. p. 254. ibid. cf. *Swieten.* Comm. in *Boerh.* Aph. 1120. p. 520. T. III. ed. *Hildb.*
ee) De Re Medic. III. 16. p. 426. ib. et edit. gr. p. 66.

concauos; lingua ſicciſſima, nulla penitus in ore ſaliua conſpicitur; Siti enecti ſunt, crura vero, quia noctu ſaepe offendunt, et propter adſiduos canum morſus, ſine remedio exulcerata.

Omnes vero cum veteres, tum recentiores, in eo conueniunt, hanc λυκανθρωπίαν eſſe quandam melancholiae formam: Id quod olim multis demonſtrauit IO. FRID. WOLFESHVSIVS f), adeoque non verentur HERODOTVS ff), PLATO g), PAVSANIAS gg), OVIDIVS h), PLINIVS hh), POMPONIVS MELA i), A. GELLIVS ii) cet. illas quarundam nationum in lupos permutationes pro fabulis habere. Idque nec iniuria, partim quod, experientia teſte ac ALEXANDRO k) auctore, horrendis haud raro ludibriis iſti homines diuexantur, omniaque ea facinora, quae proterue fiunt, non, niſi a phantaſia laeſa naſci poſſunt, partim quod ſimilis medendi via et ratio, ac in triſtiſſima melancholia, hic locum habere perhibetur.

Sed haec, niſi totus fallor, et quoad cauſſarum ſignorumque inueſtigationem, et quoad remediorum

f) In Orat. De Lycanthropis, *Lipſ.* 1591. habita, p. 13. ſeq. vbi plura hanc in rem docte atque *Io. Bodini* opinioni appoſite commemorantur.

ff) In *Melpom.* ſ. Hiſtor. IV. 105. p. 258. ed. *Gale.*

g) De Republ. IX. p. 565. T. II. ed. *Steph.*

gg) In Arcadic. ſ. Hiſt. VIII. p. 457. ed. *Xyl.*

h) Metamorph. I. v. 163. ſequ.

hh) Hiſt. Natural. VIII. 22.

i) De Situ Orbis II. 1. ad fin.

ii) Noct. Attic. IX. 4. p. 121. ſeq. ed. *Ald.*

k) L. I. 16. p. 108. ed. *Guinth.*

rum vſum, noſtra aetate ſatis ſibi reſpondent. Viderunt enim id genus mali MART. AKAKIAS kk) et DAN. SENNERTVS l), SWIETENIVS ll), praeterea teſte SAVVAGESIO m), FORESTVS n), SCHENCKIVS, DONATVS ab ALTOMARI, RAVLINVS, aliique multi, quos huc adducere non lubet, praeſertim cum eos λυκανθρώπους in mentem reuocaris, quos DONATVS viderat, quique *per auia vagabantur, cadauera humana aut partes eorum ſecum geſtantes; de cetero luridi, ſicci, aduſti, ſitientes* cet. Hac enim morbi ſimilitudine commotus non poſſum non audacter adfirmare, eum et apud veteres, et recentiores medicos eundem prorſus eſſe.

Hinc etiam facile colligitur, illam κυνανθρωπίαν, quam, teſte Ill. REISKIO o), Arabes *ol Kalab*

kk) Comment. in *Gal.* Art. Parv. p. 257. vbi hoc malum in *inſaniae melancholicae* numero collocatur. Cf. *Caelius Rhodigin.* Lect. Antiqu. XIV. 45. p. 753. ed. *Ald.*

l) Practic. Med. L. I. P. II. c. 16. p. 429. et Inſtitut. L. II. P. III. Sect. I. c. 7. p. 323. ſeq. et Sect. II. c. 4. p. 424. vbi varia hoc de inſaniae genere exempla legere me memini.

ll) Comm. in *Boerh.* Aph. l. cit.

m) Noſolog. Method. T. III. P. I. p. 391. ſeq.

n) Obſerv. Med. L. X. Obſ. 25. et 26. p. 348.

o) Diſſ. Miſcell. Obſ. ex Arab. Moniment. *Leid.* 1746. defenſa Obſ. I. p. 10. quam vir ille clariſſimus, qua eſt humanitate, beneuole nobiscum communicauit. Immo vero precibus noſtris ita ceſſit, vt eam denuo prelo ſubiici permitteret, idque (ſpero) fiet propediem opera et ſtudio *Fabri* noſtri, viri clariſſimi nobisque amiciſſimi. Cuius quanta vt in omni litterarum genere, ita in hoc vel maxime ſit doctrinae praeſtantia, inter omnes conſtat.

Kalab nominant, atque interdum experiuntur, huc certe referri oportere. Illi enim, vt magni huius viri verbis vtar, *in canes vertuntur*, atque *sic insaniunt, stato quodam annuo tempore, vlulant latrantque canum instar, deinde sua sponte ad se redeunt* cet.

II.

INCVBVS.

Generis non absimilis est *incubus*, quem PLINIVS [a]) per *Faunorum in quiete ludibria* explicat, THEMISON vero πνιγαλίωνα, DIOSCORIDES πνιγμὸν ἐνύπνιον, alii denique ἐφιάλτον appellarunt. Cuius morbi nomina etsi apud veteres recentioresque medicos videntur a se inuicem abhorrere, quia quisque haec a signo eius primario aut familiari repetierat, tamen nec in caussarum inuestigatione, nec in medendi via et ratione a se recessisse vllo modo censendi sunt. DIOSCORIDES [b]) enim, CAELIVS AVRELIANVS [c]), ORIBASIVS [d]), POSIDONIVS apud AETIVM [e]) atque PAVLLVS [f]), partim plebeias ac vulgares de hoc valitudinis genere opiniones narrant, veriori in

a) Histor. Nat. XXV. 4. Cf. *Caelius Rhodigin.* XIV. 47. p. 754. ed. *Ald.*

b) Parabil. I. 22. p. 7. ed. *Sarac.*

c) Morb. Diut. I. 3. p. 288. ed. *Amm.* quo in loco hic morbus dicitur plures interdum et populariter inuasisse, idque ex *Silimachi*, *Hipp. Sectatoris* fide, quondam Romae accidit.

d) Synops. VIII. 1. p. 119. Coll. *Steph.*

e) Tetrabl. II. Serm. II. c. 12. p. 255. ib.

f) De Re Med. III. 15. p. 426. ib. et ed. gr. p. 66.

in medium adducta, illumque quasi praecursorem morbi comitialis, insaniae, apoplexiae tandem, habendum esse existimant, partim eius caussam ex crapula, cruditate ac visceribus abdominis repetunt, partim eius signa, si quem aggrediatur hominem, bene reique accommodate describunt. Insunt enim incubo, vt illis, maximeque CAELIO AVRELIANO videtur, *suffocationis metus, vocis priuatio, grauitas, membrorumque motus quasi nullus, torpor in somnis, velut ab irruente quodam oppressio, anxietas summa, visorumque illusio tanta, vt, eodem teste, et se videre credant irruentem sibi, et vsum turpissimae libidinis persuadentem: Cuius si digitos apprehendere nixi fuerint, fugatum existiment. Tunc autem, cum somno surrexerint, faciem atque transforationis partes vuidas et humectas sentiunt, attestante grauedine ceruicis, cum tussicula leui, molli stimulatione commota. Plurimum autem possessis*, pergit noster CAELIVS, *accidit pallor, et corporis tenuitas, quippe cum somnum timendo non capiant* cet.

Tam varia profecto mali huius imago est, nihil vt magis esse possit, similiterque illum olim hisce verbis expressisse videtur VIRGILIVS g):

At velut in somnis, oculos vbi languida pressit
Nocte quies, nequicquam auidos extendere cursus
Velle videmur, et in mediis conatibus aegri
Succidimus, non lingua valet, non corpore notae
Sufficiunt vires, nec vox aut verba sequuntur.

 At

g) Aeneid. XII. v. 908. sequ.

At vero idem illud morbi genus eadem forma, iisdem ſignis, eademque ratione hodieque homines ſolet inuadere, vt conuenientiam eius maximam negare velle dementis ſit. Nam et de iisdem ſignis aegri noſtri haud raro conqueruntur, et eadem ſe reſpirationis difficultate, ſudore multo, inſomnio horrendo, ſagarum denique inſilientium adſpectu terreri excruriarique ſibi videntur, vt multis docuerunt DAN. SENNERTVS h), SAVVAGESIVS i), Ill. VOGELIVS k), aliique multi, vt inter omnes conſtare arbitror.

III.
HYDROPHOBIA.

Alia melancholiae reſtat differentia, in qua mira veteres ac recentiores medicos intercedit conſenſio, diciturque ea *hydrophobia.* Etenim ſi qui cane rabido commorſi ſunt, aut etiam ex febre vehementi laborarunt, ſubitus aquae liquorumque omnium timor naſcitur. Malum profecto horrendum eſt, atque haud raro mortiferum, quod praeter DAN. SENNERTVM a), PALMARIVM b), SYDENHAMVM c), CHRISTOPH. NVGENT d), SWIE-

h) Practic. Medic. L. I. P. II. c. 29. p. 577. et Inſtitut. L. II. P. III. Sect. I. c. 9. p. 335.
i) Noſol. Method. T. II. P. II. p. 128.
k) Praelect. Academ. §. 518. ſeq. p. 417.
a) Practic. Med. L. I. P. II. c. 16. p. 430.
b) De Morſ. Can. Rabid. c. 1. ſeq. p. 331. in L. De Contagioſ. Morb.
c) Proceſſ. Integr. p. 524. T. I. ed. *Genev.*
d) Eſſay on the hydrophobie, *Lond.* 1753. Cf. Comment. Lipſ. Vol. V. P. II. p. 329.

SWIETENIVM [e]), MORGAGNIVM [f]), VOGELIVM [g]), aliosque innumeros omnium optime descripsit SAVVAGESIVS [h]). Sed id satis mirari non possum, quid sit, quod magnus ille vir, CAELII forsitan auctoritate ductus, hunc hydrophobiae morbum Graecis incognitum ac praetervisum fuisse dixerit. Nam in eo vehementer fallitur, cum, eodem CAELIO teste, eum iam commemorarunt DEMOCRITVS et HIPPOCRATES, POLYBVS, ANDREAS, SORANVS, ARTORIVS, DEMETRIVS, ARTEMIDORVS, similiterque CELSVS [i]), DIOSCORIDES [k]), GALENVS [l]), ORIBASIVS [m]), RVFVS et POSIDONIVS apud AETIVM [n]) cet. Immo vero pridem ex CAELII AVRELIANI fide de morbi huius nomine, natura et sede disputatum fuit, sic, vt alii aliter iudicarent. Nonnulli enim eum appellarunt φεύγυδρον, quemadmodum POLYBVS fecit, alii vero ὑδροφοβίαν aut φοβόδιψον; Alii eum

e) Comment. in *Boerh.* Aph. 1130. p. 536. seq. T. III. ed. *Hildb.*

f) De Cauff. et Sed. Morb. L. I. Ep. 8. n. 30. sequ. et L. V. Ep. 61. n. 9. qui more suo i. e. docte atque ex ipsorum cadauerum lustratione haec demonstrauit.

g) Prael. Acad. §. 99. p. 71.

h) Nosol. Method. T. III. P. I. p. 355. seq. Cf. *Caelius Aurel.* Morb. Acut. III. 9. p. 218. seq. et *Mercurial.* Var. Lect. I. 2. p. 6. sequ. vbi de vera huius mali origine pluribus anquiritur.

i) De Medicin. V. 27. n. 2. p. 308. ed. *Krauf.*

k) Parabil. II. 113. p. 113. ed. *Sarac.*

l) Definit. Medic. n. 255. p. 262. T. II. ed. *Chart.*

m) De Morb. Curat. III. 72. p. 639. Coll. *Steph.* vbi prae ceteris remedia aduersus canis rabidi morsum commendantur.

n) Tetrabl. II. Serm. II. c. 24. p. 260. ib.

eum in neruis residere dixerunt, vt DEMOCRITVS, nostraque aetate magnus BOERHAAVIVS o), MEADIVS p) et HVM. RIDLEGVS q); alii iterum, quorum in numero sunt ASCLEPIADIS sectatores, maximeque GAIVS, cerebrum eiusque tunicas; alii, vt MAGNVS EPHESIVS, cor, stomachum, diaphragma, ilia caputque simul, alii singula seorsim accusarunt; alii porro, vt ARTEMIDORVS et ARTORIVS solum stomachum affici; alii denique, qualis fuit EVDEMVS, hanc *hydrophobicam passionem melancholiam* esse perhibuerunt, sicque alii aliter, vt quauis in re ardua coniecturali et occulta fieri solet. Sed, ni fallor, omnium optime sensisse putandus est EVDEMVS, siquidem horrenda illa signa, quibus hoc mali genus apud veteres et recentiores medicos adumbratur, veram melancholiae referunt imaginem neruorumque laesionem, estque illud, auctore CAELIO r), *appetentia vehemens atque timor potus, sine vlla ratione, ob quandam in corpore passionem.*

Sunt autem terribilis huius morbi signa, vt CAELIVS, RVFVS ac POSIDONIVS litteris consignatum reliquerunt, *anxietas quaedam sine vlla ratione, atque iracundia, et corporis difficultas, insolitus motus, somnus etiam suspensus, atque turbatus, vel vigilia et simul cibi corruptio, stomachi grauedo, crurum atque brachiorum extensio, oscitatio iugis, et impigens leuandi voluntas, insueta etiam querela aeris, tan-*

o) De Cognosc. et Cur. Morb. Aph. 1142. et *Swieten* ad h. l. p. 566. T. III. ed. *Hildb.*
p) Mechanical Account of Pois. Ess. II. p. 129.
q) Obs. De Asthmate et Hydrophobia, XXV. p. 108.
r) L. cit. c. 10. p. 219. seq. ed. *Amman.*

tanquam austrini, quamuis serena fuerit, quies: Item difficilis toleratio atque taedium, et recusatio imbrium, parua bibendi voluntas contra consuetudinem. Obtinente passione, appetentia bibendi atque timor, primum ad ipsius aquae visum; Secundo etiam, si eius audierint sonitum vel nomen. Dehinc timor fomentationis, olei; pulsus densus, paruus, inordinatus; quibusdam febricula, saltus stomachi, torpor atque stupor articulorum, subreptio atque extentio praecordiorum ad superiores partes, et officii ventris abstentio, vrinae reddendae paullatim frequentatio, tremor atque conductio neruorum, vox obtusa et velut latrabilis, corporis spirae similis siue canina inuolutio, spiratio difficilis, iactatio corporis, omnis ad ingressum hominum, tanquam secum aquam adferentium, rubor vultus, atque oculorum, et corporis tenuitas, attestante pallore, cum sudore partium superiorum, veretri frequens tensio, cum seminis inuoluntario iactu, lingua prominens. In vltimo etiam singultus et vomitus fellis, ac frequentius nigri; quibusdam et timor; manus oculis tenus admotae vel circum tractae. Quidam se agnoscere fatentur esse naturalem vel consuetum aquae liquorem, cum sibi monstrauerint, sed commoueri, cum viderint, vt se ipse quoque Soranus vidisse testatur, in hac passione constitutum sese hortatum, liquorem vt sumeret, nec tamen potuisse cet.

Quae hydrophobiae signa si quis considerarit attentius, et cum eo, quod hodie vsu euenit, rite contulerit, immo vero praeclaram illam historiam studiose perlegerit, quam nuper BVCHOLZIVS rr) V. Cl. actis Academiae Nat. Curios. insinuan-

rr) Nou. Act. Nat. Curios. T. V. Obs. 57. p. 201. sequ.

ſinuandam curauit; non poterit non tantam perui-dere mali huius conuenientiam, quanta eſt ma-xima. Neque etiam in eius exitu definiendo a ſe inuicem abhorrent omnium temporum medici, quippe, GALENO [s]) auctore, hoc morbi hor-rendi pestiferique genus interdum intra tres qua-tuorue menſes, interdum vero poſt integrum de-mum annum, ex quo homines commorſi erant, miſeris vitam ipſam abſtulit.

IV.
FVROR VTERI.

Ex vtero grauis turpisque morbus etiam naſci-tur, quem veteres ac recentiores aut *furorem vteri* appellant, aut *furorem ἐρωτικὸν*, vt PLATONI [a]), aut *nymphomaniam*, vt SAVVAGESIO [b]), placuit. Etenim ſunt ſecundum HESIODVM [c]).

Μαχλόταται δὲ γύναικες, ἀφαυρότατοι δὲ τ' ἄνδρες

Salaciſſimae mulieres, et viri imbecilliſſimi,

atque patent eam ob cauſſam huic malo prae cete-ris puellae viro maturae, viduae, ac praeter has, vt OVIDIVS [d]) auctor eſt quaecunque

Oſculaque inſeruit cupidae luctantia linguae,
Laſciuum femori ſuppoſuitque femur.

Hinc

s) In *Hipp.* L. Praedict. I. Comment. II. Text. 52. p. 735. T. VIII. ed. *Chart.*

a) Ap. *Cael. Aurel.* Morb. Diut. I. 5. p. 325.

b) Noſol. Method. T. III. P. I. p. 343.

c) Oper. et Dies v. 584.

d) Amor. III. Eleg. VII. v. 9. ſequ. Cf. *Paullus* De Re Med. III. 56. p. 477. Coll. *Steph.*

Hinc illae laſciuiae foedae ſtimulis excitatae viſisque phantaſiae delectatae ludicris, pudore omni poſito, honeſtatisque fractis repagulis, caeco voluptatum impetu abripiuntur, obuium quemque virum, nudatis obſcenis partibus, lenociniis, precibus, vi, ad coitum alliciunt, et tam ſtrenue, athletice ac pugilice in veneris caſtris militant, vt turpium amplexuum numero vel *Meſſalinam* ipſam ſuperent,

Quae reſupina iacens multorum abſorbuit ictus,
Et laſſata viris, nec dum ſatiata receſſit.

Hinc veretrum muliebre praelongatur. Hinc ob nefandi amoris conſectationem incredibilis fit ſuccorum profuſio, vuluae tumor atque hiatus, intolerabilis abdominis ardor, vrina pauca et flammea; Hinc, vt bene memoriae prodidit diuinus HIPPOCRATES e), moeror adſiduus, melancholia, inſania, delirium, violenta mors, quam ſibi olim virgines Mileſiae hac de re conſciuiſſe apud PLVTARCHVM f), perhibentur, recentiori vero aetate, vt DAN. SENNERTVS g) auctor eſt, Lugdunenſes ſimiliter.

Hoc morbi genus omnium veterum medicorum optime SORANVS h) expreſſerat, quippe eum

e) L. De Virg. Morb. §. 2. p. 356. T. II. ed. *Lind.*
f) De Virtut. Mulier. p. 249. T. II. ed. *Xyl.*
g) Practic. Med. L. IV. P. II. Sect. III. c. 5. p. 252. Cf. L. I. P. II. c. 15. vbi furor vteri quaedam maniae ſpecies eſſe dicitur.
h) Ap. *Aëtium* Tetrabl. IV. Serm. IV. c. 74. p. 817. Cf. *Aretaeus* De Sign. et Cauſſ. Acut. Morb. II. 12. p. 26. ed. *Boerh.* qui hunc morbum non vult appellari σατυρίησιν, ſed potius μαχλοσύνην tantum, quam ipſe paullo ante per, ὁρμὴν αἴσχετον ἐς ὁμιλίην, *Homeri* vero Schol. per,

eum nec reliquae eius differentiae latuerunt, minimeque *ſatyriaſis*, cui adiuncta eſt *pudendorum ingens pruritus cum dolore, ita, vt mulier adſidue manus admoueat, atque ideo intolerabili veneris deſiderio contabeſcit, et ſalſi humoris effluentis acrimoniam ac mordacitatem percipit, et loci vteri vicini inflammantur. Illud vero ardens coeundi deſiderium ſaeuiorem reddit affectionem* cet. Neque abſimiliter hunc morbum recenſuerunt DAN. SENNERTVS, SAVVAGESIVS, aliique multi, quos iam commemorare non lubet.

V.

VARIA HYDROPIS GENERA.

Malus Corporis Habitus, Aſcites, Tympanites, Anaſarca ſ. Leucophlegmatia.

Tam communia multis abhinc ſeculis haec corpori humano vitia fuerunt, vt vix ac ne vix quidem explicatione quadam egeant, praeſertim cum optimi quique medici in nominibus, cauſſis, ſignis, mirifice inter ſe conueniant. Etenim, Q. SERENO SAMMONICO [a]) teſte,

Corrupti iecoris vitio vel ſplenis acerbus
Creſcit hydrops, aut cum ſiccatae febre medullae
Atque auidae fauces gelidum traxere liquorem,

Tum

per, τὴν πρὸς συνεσίαν κατωφέρειαν explicuerat. At vero recte *Petitus* (Comm. in l. c. p. 167) iam monuit, id non, niſi λογομαχίαν eſſe, atque vſus eſt *Meſſalinae* Aug. exemplo ad demonſtrandum, quae vera huius vocis ſit ſignificatio.

a) De Medicin. n. 28. p. 422. Coll. *Steph.* Cf. ſi placet, *Cael. Aurel.* De Morb. Diut. III. 6. p. 461: *Oribaſ.* Synopſ. IX. 22. p. 142. ſequ.: *Aretaeus* De Sign. et Cauſſ. Diut. Morb. I. 16. p. 46. ſeq. ed. *Boerh.*

Tum lympha, interius vitio gliſcente, tumeſcit,
Secernens miſeram proprio de viſcere pellem.

Eſt autem *malus corporis habitus*, quem Graeci καχεξίαν appellant, haud raro praecurſor quaſi atque auctor reliquarum ſpecierum, quippe ille ex ARCHIGENIS b) fide *in aquoſitatem diffunditur atque accidit ex longo morbo, ex viſcere, quod ſcirrhus infeſtat, ex dyſenteria et affectione coeliaca diuturna, ex ſuppreſſione ſuetae euacuationis*, *aut etiam*, *vt* CAELIVS AVRELIANVS c) perhibet, *ex intemperantia aegrotantis*, *vel curatione mala medicantis*, *ex medicaminibus ſaepiſſime potatis*, *ex fluxu haemorrhoidis longiſſimi temporis*, *aut vomitu*, *aut febribus longo tempore corpore affecto*, *aut collectionibus* cet.

Quae corporis affectio, ſi per aliquod temporis ſpatium ſubſtiterit, neceſſe eſt aut in *leucophlegmatiam* tranſeat, aut *aſciten* ac *tympaniten*, quippe in malo corporis habitu et origo diri huius morbi, et cauſſa primaria ſemper anquirenda eſt. In quo, dici vix poteſt, quantam diligentiam et accurationem adhibuerint medici veteres, HIPPOCRATES, ARETAEVS d), GALENVS e), ALEXANDER TRALLIANVS f), AETIVS g), PAVLLVS h), omnium vero

b) Ap. *Aëtium* Tetrabl. II. Serm. II. c. 19. p. 534. Coll. cit.
c) L. et pag. cit.
d) De Cauſſ. et Sign. Diut. Morb. I. 16. p. 46. et L. II. 1. p. 48.
e) Introduct. c. 13. p. 383. T. II. ed. *Chart.* vbi varia praeclare ac probabiliter hiſce de hydropis generibus dicta ſunt. Cf. L. De Sympt. Cauſſ. III. 2. p. 89. et L. De Loc. Affect. V. 7. p. 497. T. VII.
f) L. IX. 1. ſeq. p. 512. ed. *Guinth.*
g) Tetrabl. III. Serm. II. c. 20. ſequ. p. 534.
h) De Re Med. III. 47. p. 471. ſeq. Coll. *Steph.*

vero optime CAELIVS AVRELIANVS [i]), qui et more ſuo, id eſt, ſtudioſe varias veterum medicorum ſententias collegit, et veritati ſuum decus atque pretium reddidit. Probabilis enim prae ceteris illa eſt PROCVLI [k]), qui THEMISONIS ſectator fuit, et *ſecundum plurimos* dixerat *hydropis differentias temporibus paſſionis adſcribendas. Initium enim atque augmentum eſſe* λευκοφλεγματίαν, *cum adhuc ſecundum carnem fieri mutationem viderimus: Statum vero tympaniten, cum ſumma tenſio ſecundum ventrem fuerit facta: Declinationem autem aſciten, cum quadam indulgentia fuerit inflatio relaxata*, etſi CAELIVS paullo aliter hac in re ſenſerat. Sed haec hactenus. Eſt enim hydrops obuium quoddam morbi genus, in quo cauſſarum natura et ſeries eadem eſt, adeoque nullus dubito, qui, vel neglectis recentiorum medicorum teſtimoniis, iterum neget maximam his dari conuenientiam, fore prorſus neminem.

Plura profecto reſtant morborum genera, in quibus mira eſt et incredibilis paene veterum ac recentiorum medicorum conſenſio, *varia alui profluuia, affectio coeliaca, dyſenteria, diabetes, dolor coxendicis, morbus articularis, podagra* cet. Sed haec, quae adhuc commemorauimus iam ſufficiant. In re enim facili omnibusque cognita multis verborum ambagibus atque lenociniis vti velle, aut dementis eſt, aut ſaltem hominis male ſeduli.

i) Morb. Diut. III. 8. p. 467. ſeq.
k) L. et cap. cit. p. 469.

SECTIO



SECTIO IV.

DE IIS MORBORVM GENERIBVS, IN QVORVM NATVRA ET EVENTIS DEFINIENDIS VETERES RECENTIORIBVS MEDICIS LONGE DILIGENTIORES SVNT.

In ea ſemper opinione fui, ex quo propius ad monimenta veterum medicorum acceſſeram, magnum perfectumque medicum fore neminem, niſi qui eos verae ſaniorisque medicinae auctores ſibi ad imitandum propoſuerit. Abhibendam enim ii duxerunt, vt alia taceam, in morborum natura et imagine adumbranda eam diligentiam et accurationem, vt, niſi tyro in medicina ſis, non poſſis non in tantorum virorum admirationem rapi, qui nec imparati vnquam aut praeoccupati ad aegrorum lectulos venerant, nec in precariae enunciationis fidem falſis ludicrisue obſeruatiunculis vſi ſunt ad lectorum animos inescandos. Solent enim veteres, etſi cetera non negligunt, tamen in morborum ſignis ac euentis tam diligentes et minutuli quaſi eſſe, vt et verbo cuique ac notioni ſuam vim conſtare velint, et

 ſimili-

ſimilitudinem aeque ac differentiam malorum eorum, quibus vita et valitudo hominum identidem eſt obnoxia, magno cum ſtudio et ad viuum exprimant.

Quod quantae vtilitatis ſit in generibus aegrotationum corporis et perſpiciendis, et diiudicandis, intelligent profecto ii cum maxime, qui quosdam recentiorum medicorum libros curatius perlegerunt. Aut enim a priſcorum hominum more obſeruandique ſtudio prorſum deſciuerunt, aut quodam male ſedulo innouandi pruritu incitati temere effinxerunt nomina, aut denique eodem, quo herbarii noſtri, modo veterum vocabula ad res ſuas exprimendas, easque ſaepenumero longe diuerſiſſimas, audacter transtulerunt. Ex quo non poteſt non maxima rerum addiſcendarum docendarumque confuſio ſuboriri, detrimentumque irreparabile inferri ipſis medicinae ſtudiis.

Nolo iam haec omnia ſingulatim percenſere, aut magna exemplorum abuti multitudine, ad ſumtiones meas confirmandas, quippe hoc opus iniquum eſt periculique pleniſſimum, niſi velim iterum in quorundam hominum reprehenſionem incurrere, qui ſi ſeſe ſemel ad magni alicuius viri auctoritatem compoſuerunt, aqua et igne interdicendum exiſtimant, quicunque eum errare poſſe publice profiteatur. Ecquis vero eſt, qui, quantopere hac in re veteres noſtris antecellant, turpiter ignoret? Liceat tamen nobis huic argumento paullulum immorari.

I.

ANGINA.

Angina, communis ille faucibusque infestus morbus, quem GALENVS [a]) vniuerse per φλεγμονὴν τῶν κατὰ φάρυγγα μερῶν expressit, solet a nostris medicis aut a sola caussa nominari, idque, quantum equidem video, non iniuria; aut etiam, si qua veterum vocabula existiment adhibenda, oscitanter nimis ea in re versari videntur. Aliis [aa]) enim κυνάγχη et συνάγχη *grauior laesio* est, παρακυνάγχη vero et παρασυνάγχη *mitior*, alii vero haec nomina obiter adferunt, quasi eis nulla subiecta sit notio, nulla insit vtilitas; id quod summa est in veteres medicos iniuria.

Etsi enim negari non potest, HIPPOCRATEM [b]), ARETAEVM [c]), GALENVM [d]), et quos-

a) In *Hipp.* L. De Vict. Acut. Comm. IV. Text. 27. p. 136 seq. T. XI. et L. Meth. Medend. ad *Glaucon.* II. 1. p. 397. T. X. ed. *Chart.*

aa) *Schacht* Instit. Med. Pract. L. V. c. 2. §. 6. p. 183. ed. *Vienn.*: *Ludwig* Instit. Pathol. Gen. P. III. c. 4. §. 252. p. 107: *Neifeld* Rat. Medend. P. I. c. 2. Sect. III. §. 721. sequ. p. 250. rel.

b) L. De Morb. III. §. 10. p. 102. T. II. ed. *Lind.* Interdum hoc solo nomine omnes huius mali species significari voluit, quoniam multa eius placita, quae de morbi exitu reliquit, sine hac cautione viderentur dubia, vt ex eius lectione facile potest colligi.

c) De Causs. et Sign. Acut. Morb. I. 7. p. 5. et L. Curat. Acut. Morb. I. 7. p. 86. ed. *Boerh.*

d) Introduct. c. 13. p. 379. T. II. ed. *Chart.*: L. De Loc. Affect. IV. 6. p. 459. T. VII. vbi κυνάγχη ex spinae laesione, eaque grauissima et rarissima, commemoratur. Cf. In Praedict. I. Comment. II. Text. 89. p. 755. seq. T. VIII. et In Epid. II. Comm. II. Text. 28. p. 145. T. IX. P. I.

quosdam praeterea alios, κυνάγχην eam appellasse videri inflammationem, quae interiores oris partes infestat, maiorique cum periculo est, συνάγχην vero, quae externas magis et visui obvias laedit; tamen cum apud ALEXANDRVM [e]) haec, vt genus, reliquae vero, vt differentiae, adducantur, idque rei apposite, siquidem veteres, GALENO [f]) teste, in verborum vsu parci fuerunt, et communi hoc nomine omnia respirationis laesae signa expresserunt, vt hinc apud HIPPOCRATEM παρακυνάγχη ipsa χαλαρωτέρην νȣ̃σον significet; iniurii profecto videmur in veterum medicorum manes, si in SAVVAGESIO aliisque felicem hanc nominum effingendorum propensionem laeti admiramur, at vero eos, qui similiter se gesserant multis ante seculis, proterue spernimus.

Neque tamen haec pestiferi acutissimique morbi definitio suis destituitur commodis, nec a CELSO [g]), GALENO [h]), PAVLLO [i]), aliisque veterum penitus fuit praeterita. *Nostri anginam vocant,* inquit CELSVS; *Apud Graecos nomen, prout species est. Interdum enim neque rubor, neque tumor vllus apparet, sed corpus aridum est, vix spiritus trahitur, membra soluuntur. Id* συνάγχην *vocant. Inter-*

e) L. IV. 1. p. 219. et *Gal.* L. De Loc. Affect. l. c. p. 463.
f) L. De Loc. Affect. l. c. p. 462. et In L. Vict. Acut. Comm. IV. Text. 27. p. 136. T. XI. Anginae vero species similiter, vt nos, recensuit Comment. IV. in *Hipp.* Aph. 34. p. 156. T. IX.
g) De Medicin. IV. 4. n. 1. p. 196. ed. *Kraus.*
h) L. cit.
i) De Re Med. III. 27. p. 446. Coll. *Steph.*

Interdum lingua faucesque cum rubore intumescunt, vox nihil significat, oculi vertuntur, facies pallet, singultusque est. ὡς συνάγχη vocatur. Illa communia sunt: Aeger non cibum deuorare, non potionem potest: Spiritus eius includitur. Leuius est, vbi tumor tantummodo et rubor est, cetera non sequuntur. Id παρασυνάγχην appellant.

Nullo autem modo fieri poteſt, vt quis hac noſtrorum hominum negligentia acquieſcat, qui quicquid non ſatis intelligunt, alto ſpernunt ſupercilio. Variis enim hisce veterum vocabulis cum locus, quem angina miſere infeſtat, et natura magnitudoque mali exprimitur, quippe longe alia ſignorum eſt facies, ſi *συνάγχη*, fauces occupat, alia; ſi *κυνάγχη*. Neque mehercle praetereunda obſeruatio ARETAEI k) eſt, qua *συνάγχην*

k) L. ſupra cit. Haerent hic in verborum poſitu et explicatione interpretes, maximeque omnium poſt *Petitum*, (Comment. in h. l. p. 147. ed. *Boerh.*) magnus *Swietenius*, (Comm. in *Boerh.* Aph. §. 783. T. II. ed. *Hildb.*) Illi enim propter illam συνάγχης deſcriptionem, quam modo attulimus, paullo poſt non, ὡς συνάγχην ἀπὸ κυνάγχης γίγνεσθαι, vt vulgo fit, ſed potius ὡς κυνάγχην ἀπὸ συνάγχης κ. τ. λ. legendum eſſe perhibent. Sed temere, vt nobis videtur, et indicta cauſſa. Ipſe enim *Aretaeus*, praemiſſa ea anginae ſpecie, quae συνάγχη, aut, vt *Petito* placet, ὑάγχη appellatur, ad grauiorem illam κυνάγχην progreditur, eamque ſic deſcribit naturaeque accommodate, vt inter legendum mens ſtupeſcat horreantque capilli. Vſus autem hiſce verbis eſt: Ξύνεστι δὲ τοῖσι μὲν κυναγχικοῖσι φλεγμονὴ παρ᾽ ἰσθμίων. *Adeſt ſane laborantibus canis angina inflammatio tonſillarum*, non vero συναγχικοῖσι, vt fas erat, ſi coniecturae illi locus eſſe debebat, nec in codd. ac libris impreſſis aliter legitur. Immo vero *Aretaeus*, hoc malorum recenſu facto,

οἷον συνεύουσαν ἔνδον καὶ ἄγχουσαν (*quasi interius vergentem et angentem*) appellauit, κυνάγχην vero ista longe perniciorem ac periculosiorem esse censuit, adeoque boni etiam augurii, si haec in συνάγχην transierit.

Qua de re prorsum non video, quid sit, quod recentiores medici praeclaram hanc veterum, in primisque ALEXANDRI TRALLIANI, diuisionem turpiter deserendam existimarint. Si enim iam, inde ab HIPPOCRATIS magni tempore κυνάγχη et παρακυνάγχη non, nisi mali vehementia et magnitudine a se discrepant, quid prohibet, quo minus similiter συνάγχη et παρασυνάγχη dici et possit, et debeat, praesertim cum nec veritati repugnet ista distinctio, nec auctoritate omni destituatur? Neque ab hac sententia alienus fuit CAELIVS AVRELIANVS [1]. Cui etsi synanches

facto, tunc demum κυνάγχην boni ominis esse adfirmat, si in synanchen transeat. Accedit et illud, quod *Hippocrates*, (L. De Morb. III. §. 10. et 11. p. 102. T. II. ed. *Lind.*) in quem *Aretaeus* tantum non semper, tanquam exemplum, intuetur et quoad verborum vsum, et summam in describendo diligentiam, ad grauiorem anginae formam exprimendam semper adhibuit voc. κυνάγχη, ad leuiorem autem voc. παρακυνάγχη. Quid? quod ea est signorum inter se consensio, vt hinc amplius dubitare nefas sit. Cf. quae supra ex *Celso* commemorauimus, et vbicunque συνάγχην leuiorem ea anginae specie esse intelliges, quae κυνάγχη nominatur. Huc etiam sine dubio pertinet ille ap. *Galen.* L. De Serm. III. 3. p. 230. T. III. ed. *Chart.* aut quisquis huius libelli auctor est, *grauissimus affectus in faucibus, qui graece lycoides dicitur, latine lupus, id est, strangulator.*

1) Acut. Morb. III. 1. p. 179. ed. *Amman.*

ſynanches nomen prae ceteris arrideat, tamen haec addere non dubitat: *Synanche alia eſt ſine manifeſto indicio, alia cum viſibili atque manifeſto: Et alia intra oris ſpatium, alia exterius, alia ex vtroque hoc, exteriore atque interiore, parte dextra vel ſiniſtra, aut in vtraque.* His enim diuiſionibus easdem illas, quas alii, anginae ſpecies profitetur, atque *quidam,* quorum in numero VALENS fuit, *ſpecialem diſcretionem etiam nominibus poſuiſſe* perhibentur. Immo vero *cynanchen* et *paracynanchen, hyanchen, ſynanchen, paraſynanchen,* ſimiliter, vt nos paullo ante fecimus, a loco, quem hoc malum occupat, et ab magnitudine appellandas anginae formas eſſe cenſuit, etſi reuera, eodem CAELIO auctore, *nihil refert, ſpeciales differentias proprietate nominum ſeparare.*

Similis ratio eſt AETII [m]), qui ex GALENO easdem quatuor anginae ſpecies, neglecto tamen nomine, adduxit, atque omnium longe grauiſſimam et periculoſiſſimam a veteribus κυνάγχην vocatam fuiſſe auctor eſt, in quo conſentientem PAVLLVM [n]) habet. *Internis faucium* (φάρυγ-

m) Tetrabl. II. Serm. IV. c. 47. p. 399. Coll. *Steph.*

n) De Re Med. III. 27. p. 446. Coll. cit. et ed. graec. p. 84. Sed minus fida et tuta hic iterum, vt multis aliis in locis, *Jani Cornarii* verſio eſt. Habet enim inter alia haec etiam verba, quae lectorem graecae linguae ignarum facile in errorem inducere poſſent: *In ſynanchicis quandoque etiam ſuffocatio ſequitur.* Nusquam autem in graeca Baſileenſi extat συναγχικοῖς, ſed potius κυναγχικοῖς, exindeque etiam colligitur, nos nec temere feciſſe, cum κυνάγχην ceteris anteponeremus. Hac enim ratione eos, qui toti ex verſionibus pendent, ſaepenumero iudicio labi oportere, quis eſt, qui non intelligat?

γος) *musculis inflammatis*, inquit ille, *angina fit, quae synanche appellatur: externis vero, parasynanche. Eodem modo interni summi gutturis* (λάρυγγος) *musculi inflammati eam efficiunt, quae cynanche vocatur: externi vero eam, quae paracynanche. Consequitur ad omnes rectae ceruicis spiratio,* (ὀρθόπνοια) *et dolor* (πόνος) *cum spirandi difficultate* cet.

Porro veteres nec ea huius mali nomina prorsum latuerunt, quae a caussa plerumque repetuntur, qualisque est *angina inflammatoria, pituitosa, oedematosa, strangulatoria* rel. quibus sibi nostri homines, incredibile, quantum perplacent. Memini enim, nisi totus fallor, id genus anginas apud HIPPOCRATEM o) me legere. Describitur vero hoc in loco quaedam species, quae *a pituita nascitur, ad collum et maxillas coaceruata, febre interdum adiuncta*, nec non *deglutitionis ac respirationis difficultate.* Iterum p) commemoratur κύναγχος ἀπὸ αἵματος, (*angina a sanguine*) *quae certe nostra est inflammatoria;* Denique q) κύναγχος, vbi τὸ ψυχρὸν et κολλῶδες ῥεῦμα accusatur, quae anginae forma non potest non *pituitosae* nostrae respondere, id quod etiam GALENVS r) videtur concedere.

Ad eas vero anginae species explicandas, quibus veteres medici vtuntur, referenda sine dubio ea

o) L. De Morb. II. §. 9. p. 11. T. II. ed. *Lind.*
p) L. De Loc. in Hom. §. 42. p. 388. T. I.
q) L. De Vict. Acut. §. 39. p. 300. T. I.
r) In *Hipp.* L. De Vict. Acut. Comm. IV. Text. 27. p. 136. T. XI. ed. *Chart.*

ea sunt, quae de vario exitu litteris consignatum reliquit diuinus HIPPOCRATES [s]). Angina enim grauissima et cum maxime primis diebus exitiosa perhibetur, si in faucibus non, nisi dolor multus et ὀρθόπνοια vrget, estque, vt nobis videtur, ea, quae vulgo κυνάγχη dicitur. Altera similem dolorem adiunctum habet, tumorem, ruboremque faucium, minusque illa pertimescenda est, quae sine dubio παρακυνάγχη est, quippe, vt supra vidimus, bina haec mali genera expresse commemorarat HIPPOCRATES. Noua porro anginae forma habetur, quae cum faucium et ceruicis rubore est, eoque ad externas et magis obuias oris partes proiecto, cui pro magnitudine morbi signorumque vehementia diuersa diversum nomen erit, atque, si placeat συνάγχη et παρασυνάγχη appellari poterit. Hisce vero diuisionibus ad verbum fere respondent praesagia, quae in *Coacis* [t]) repetuntur. Quae si attente diligenterque perlegeris, veterum in obseruando constantiam et accurationem non poteris non admirari, eorumque subridere impudentiam dicam, an imprudentiam, quibus antiqua quaeuis sordent. Sed haec de anginae nominibus sufficiant, quippe hoc in genere documenta longe praeclariora restant.

Omnis

s) L. Prognost. §. 23. p. 467. T. I. Cf. *Galen*. Comm. III. in h. l. Text. 16. sequ. p. 673. T. VIII. vbi has species nominatim a se inuicem seiunxit, neque tamen nimis recentiorum medicorum nomina vrgenda esse voluit. Philosophi enim virique magni est, non nomina impensius curare, sed rem ipsam prae ceteris. neque tamen ea sic negligere, vt ea susque deque habere videatur.

t) Coac. Praenot. p. 555. T. I.

Omnis enim medici boni praestantia in eo maxime cernitur, vt ex certis quibusdam signis ad morbi naturam et indolem perueniat, et quo felicior in iis inueniendis est, eo profecto perspicacior ac praeclaro isto nomine dignior existimandus est. Fuit vero haec quasi veterum vis propria et familiaris, vt nihil inter obseruandum oscitanter negligerent, aut temere fastidirent, adeoque nec mirum videbitur, si in notatione signorum eorum, quibus angina continetur, nostris hominibus antistent quam longissime.

Sua hinc laus, honos atque gloria, HIPPOCRATI, ARETAEO, GALENO, ceterisque medicis debetur; princeps vero omnium et quasi antesignanus hoc in genere existimandus CAELIVS AVRELIANVS[u]) est, cuius verba, cum veram mali venientis, futurique exitus imaginem repraesentent, hic nobis adiicere liceat. *Sequitur eos,* inquit ille, *qui iam passione tentantur, querela sine vlla ratione, atque difficilis motus colli et gutturis. Item saliuatio plurima praeter tumorem, et subdolens faucium sensus, cum asperitate sensibili. Item difficultas transuorandi liquoris soliti, salinarum more collecti: Tunc spirationis velut impedimentum, tanquam obstantis crassioris humoris. Surgente vero ac crescente passione, sic, vt manifesto tumore pars fuerit rubens facta, videbitur tumor faucium atque vuae, et supra linguam partium, et summitatis gutturis, cum difficultate transvorationis omnium acceptorum. Praefocatio etiam pro tumoris*

u) L. cit. c. 2. p. 181. sequ.

tumoris modo, ſpirationis difficultas, et nauſearum provocatio. Dehinc ſicca tenſio, ſi quis os aegrotantis aperuerit, et digito linguam oppreſſerit, inuenitur. Creſcente vehementius paſſione, omnium tumor efficitur, colli atque vultus, et humoris craſſioris ac ſaliuarum fluor, oculi prominentes, ſanguinolenti, et venarum extenſio. At ſi peius increuerit, linguae vltra dentes ad exteriora prolapſio, ariditas ſiue ſiccitas faucium, articulorum gelidus torpor, pulſus celer, denſus, iacendi difficultas, et magis in ſupino ſchemate, vel in latere: frequens etiam ſedendi cupiditas, item loquutio non articulata, ſed confuſa, atque cum dolore. At ſi in exitium paſſio coeperit ferri, liuor vultus, vocis amputatio, gutturis atque pectoris ſtridor, et recurſio ſiue recurſus poti liquoris; pulſus defectio, quam Graeci ἀσφυγμίαν vocant, et quibusdam caninus vocis ſonitus, quibusdam oris ſpumatio. Tunc etiam neceſſario mortis effectus. At ſi ſine manifeſto tumore fuerit paſſio, ſequitur collorum tenuitas, cum extenſione atque ſubrectione inflexibili. Item vultus et oculorum cauitas, frontis extenſio, color plumbeus, ſpirationis difficultas plurima, nullo, vt ſupra diximus, manifeſto tumore, ſiue inflatione aliqua apparente neque in internis, neque in externis partibus, hebetudo plurima atque imbecillitas aegrotantis; et celerrimus vel acutus cum praefocatione mortis effectus. At ſi circum colla ſe ignis ſacer infuderit, ſiue in pectore apparuerit, et fuerit perſeuerans, frequentiſſime bonum portendit, ſiquidem adſcenſus tumoris ex alto ad ſuperficiem venire videatur. At ſine vlla ratione adiutorii cuiusquam medicinalis beneficii, repente non apparet, ſalutem negabit: Deſcenſus enim a ſuperficie corporis ad altiora monſtratur,

ſtratur. At ſi forte non ſecundo irruens, vel ex alto acceptus ad ſuperficiem fuerit ignis ſacer, ſed antecedens paſſionem, aut eidem concurrens, omnia mala ſignificat. Humor autem plurimus, ſiue ſaliuarum fluor in craſſitudinem coactus, ſi in ſtatu apparuerit, mala oſtendit. Poſt ſtatum vero paſſionis, ſalutaria pollicetur. Alias enim plurimam praeſocationem ſignificat, alias corporis laxamentum. In quibusdam etiam tantum tumor increſcit, vt ſtricturam faciat in faucibus atque gutture, et mento. Hactenus praeclare CAELIVS.

Quod mali genus cum tam dirum ſit atque peſtiferum, nihil vt magis eſſe poſſit, ecquod mirum, ſi quidam iratus apud PLAVTVM [v]) haec in votis habuerit:

In anginam ego nunc me velim verti, vt veneficae illi
Fauces prehendam et enecem ſceleſtam ſtimulatricem.

Quibus praemiſſis, legat, quaeſo, recentiorum medicorum libros, quisquis diuino ſeni eiusque adſeclis omnem meritorum laudem impudenter ereptam velit, et tunc demum, quantum noſtros et accuratione in obſeruando, et iuſta in deſcribendo breuitate ſuperent, iure ſuo iudicet. Tunc enim temporis aut deſinet in STHENELI [w]) morem loqui,

Ἡμεῖς τοι πατέρων μεγ᾽ ἀμείνονες εὐχόμεθ᾽ εἶναι,

Nos patribus loquimur multum praeſtare vetuſtis,

aut

v) Moſtell. Act. I. Sc. III. v. 61. ſequ.
w) Ap. *Galen.* Suaſor. ad Art. Orat. c. 7. p. 7. T. II. ed. *Chart.*

aut faltem fibi ab ifta linguae temperabit inmodeftia, qua veteribus parcere nefas ducitur. *Ineft enim*, SENECA [x]) tefte, *omni feculo, quod fat eft.*

II.

ΛΕΙΠΟΘΥΜΙΑ, ΛΕΙΠΟΨΥΧΙΑ, ΣΥΓΚΟΠΗ, ΑΣΦΥΞΙΑ.

Sunt illae quidem quatuor animi defectionum fpecies, quarum nomina varia funt, quae vero re ipfa non nifi gradu a fe inuicem difcrepare videntur recentiorum medicorum plurimis, idque fine vllo delectu ac difcrimine, adfirmatur. Eminent hoc in numero IO. RHODIVS [a]), SCHACHTIVS [b]), LVDWIGIVS [c]), Ill. VOGELIVS [d]), immo vero ipfe SAVVAGESIVS [e]), cui fatis eft *leipothymiam* effe *cum pulfus bonitate, tinnitu aurium, fubitoque calore, vertigine*, eamque *a capite incipere; fyncopen* vero, *fi pulfus euanefcit, aut faltem minuitur cum fubita fenfuum obfcuratione viriumque deflectione* cet.

Sed profecto, fi haec omnia legeris, incertior multo es, quam ante fueras. Repugnant enim fubita ifta noftrorum hominum placita fa-
niori

x) Epift. XVII. p. 54. T. II. ed. *Lipf.*

a) Analect. ad *Septalii* Caut. L. VI. p. 383.

b) Inftitution. Medicin. Pract. L. VI. 7. p. 231.

c) Patholog. General. P. III. c. 2. §. 208. p. 88. feq. ed. fec. et Inftit. Medic. Clinic. P. I. Tr. III. c. 6. §. 675. p. 312.

d) Praelect. Academ. Aph. 602. p. 502.

e) Nofolog. Method. T. II. P. II. p. 389.

niori veterum doctrinae, vt suo iam tempore conquesti sunt MERCATVS atque HIER. MERCVRIALIS, et male profecto huc illud PLATONIS f) adducitur: Ὡς ἂν παραμελῶμεν ὀνομάτων, πλουσιώτεροι φρονήσεως εἰς τὸ γῆρας ἀφιξόμεθα. *Nos ditiores sapientia ad senectutem peruenturi sumus, si nomina neglexerimus.* Fieri enim nullo modo potest, vt sine iis artes vllae, et prae ceteris medicina, rite doceri penitusque addisci possint, nisi simul omnia morborum genera in suas species iterum bene naturaeque apposite diuidantur. Hinc aut nefandae leuitatis est, veterum scripta et scita temere spernere, quorum hac in re accusationem diligentiamque satis demirari nequeas, aut etiam summae est dementiae, si quid sua vtilitate destitui vere videatur, illud amplius imitari et obsoletis istis nominibus commemorare identidem.

Gradu quidem (fateor) haec mala differunt, continenturque, tanquam species, vno eodemque genere; sed id vnum doleo, recentiores medicos haec non rite a se inuicem segregare aut voluisse, aut potuisse ob contemtam ac neglectam prorsus veterum medicorum lectionem. Intuenti enim mihi quaeuis eorum loca, quae versantur in hisce morbis describendis, eaque inde ab HIPPOCRATE ad vltimum vsque Graecorum et Latinorum conferenti, id certo reperisse videor, λειποθυμίαν et συγκοπὴν reliquas quasque differentias sub se com-

f) Ap. *Galen.* L. De Vsu Part. IV. 13. p. 384. T. IV. ed. *Chart.*

comprehendere. Id quod etiam ſignificaſſe cenſendi ſunt ALEXANDER TRALLIANVS g), cum in cardiacis λειποθυμίας ἀμέτρȣς et συγκοπὰς fieri adfirmat, nec non AETIVS h), cum primum de *leipothymia* ageret, deindeque ad *ſyncopen* propius accederet. Hinc illa apud HIPPOCRATEM i) ἔκλυσις ab tuberculi ſciſſione oriunda ſine dubio ad priorem formam referenda eſt, λειποψυχίη vero ad poſteriorem, cum ſecundum ALEXANDRVM k) et AETIVM l) haec ſibi verba ſatis reſpondeant, atque *leipothymia*, auctore GALENO m), *ſyncope inperfecta* ſit.

Neque ſola nominis diſcrepantia ſpectanda eſt, verum etiam variae huius mali ſpecies, quae a cauſſis repetuntur et inter ſe bene ordinantur. Oritur autem vt GALENVS n), ALEXANDER o), PAVLLVS p) perhibent, *leipothymia* illa *ex quacunque nimia egeſtione, ab ſuccorum multitudine*, ab *conuulſione et inflammatione vteri*, ab *inedia longa* q) et *crudi-*

g) L. VII. 9. p. 342. ed. *Guinth.* Cf. *Foëſius* Oecon. *Hipp.* p. 378.
h) Tetrabl. II. Serm. I. c. 96. ſeq. p. 244. Coll. *Steph.*
i) L. VII. Aph. 8. p. 103. T. I. ed. *Lind.*
k) L. XII. 3. p. 697. ſequ.
l) L. cit.
m) Method. Medend. ad *Glaucon.* I. 15. p. 359. T. X. ed. *Chart.* Hoc in loco et omnes leipothymiae cauſſae ſingulatim recenſentur, et diſerte adfirmatur, λειποθυμίαν atque ἔκλυσιν adhiberi a medicis ad vnam eandemque rem ſignificandam.
n) L. cit.
o) L. XII. 3. p. 697. ſequ.
p) De Re Med. III. 60. p. 411. Coll. *Steph.*
q) *Galen.* in Aph. Comm. II. Text. 41. p. 80. T. IX. ed. *Chart.*

cruditate, a *debilitate ſtomachi viriumque imbecillitate*, a *varia vitioſorum humorum natura* ſ. *cardiaca*, quo nomine cuncta morbi huius genera ſignificaſſe videtur CAELIVS AVRELIANVS [r]). Porro etiam *leipothymia* naſcitur ex *pituita*, *frigore* aut *calore*, a *ſiccitate*, ab *inflammatione viſcerum febrisque vehementia*, *et malignitate*, ex *obſtructione viſceris nobilioris*, ex *abſceſſu rupto* [s]), *ab dolore vehementi*, maxime *inteſtinorum*, ex *laeſione nerui*, *vlceribus articulorum malignis*, *gangraena*, ex *perturbationibus animi* cet. Interdum haec mentis defectio [t]) praecedit *apoplexias*, *morbum herculeum mali moris*, *neruorum reſolutionem*, *ſyncopen*, *marcorem*, maximeque ſenes exinde periclitantur, in quibus ob ſubitos animi motus haud raro malo cum euentu eſt.

Similis ratio *ſyncopes* eſt, quae, GALENO [u]) teſte, *κατάπτωσις ὀξεῖα δυνάμεως* eſt, adeoque non inepte *mortem* ipſam *ſyncopen confirmatam* GERARDVS CREMONENSIS [uu]) dixerat. Oritur autem illa ſecundum veterum doctrinam ſubito a cauſſa multiplici ac varia. Memini enim me in eorum monimentis legere *ſyncopen cardiacam* [v]), et *ſtoma-*

r) Morb. Acut. II. 30. ſeq. p. 145. ed. *Amman.*

s) *Gal.* in Aph. Comm. VII. Text. 8. p. 295. T. IX.

t) *Gal.* Meth. Med. ad *Glaucon.* I. 15. p. 359. T. X.

u) Method. Medend. XII. 5. ſeq. p. 282. T. X. vbi ſimul omnes huius morbi ſpecies recenſentur.

uu) Ap. *Valeſcum de Taranta* Philon. Pharmac. III. 13. p. 271. ed. *Frft.* 1599.

v) *Gal.* in Aph. Comment. II. Text. 41. p. 81. T. IX: L. De Loc. Affect. V. 2. p. 480. T. VII: L. De Puls. ad Tyron. c. 11. p. 8. T. VIII. ed. *Chart.*

ſtomachicam [w]), *ſyncopen ab cruditate humorum ac multitudine* [x]), *a bile flaua* [y]), a *dolore vehementi*, ab *vigiliis*, ab *egeſtu ſuccorum magno ac ſubito*, ab *motu in deliris*, a *vermibus* [z]), ex *conſenſu viſcerum*, ex *febrium acutarum malignitate* [a]), ex *animi commotionibus* cet. Quae ſi diutius protrahatur, tunc demum neceſſe eſt λειποψυχίαν et ἀσφυξίαν ipſam fieri.

Ex his igitur, quae adhuc commemoranda duximus, facile colligitur, haud ſpernenda veterum medicorum nomina auctoritatemue eſſe, cum hac certe via et ratione facilis ſit ad naturam morbi huius bene intelligendam atque recte diiudicandam aditus. Neque mehercle vnquam audiendi ſunt, qui vbiuis diſſenſum quendam crepant, et ſi apud ARETAEVM [b]) aliosue ſolam ſyncopen legerint, cuncta illico nomina putant negligenda. Medici voſtram fidem! Quis vnquam veſtrum, ſi de re abſtruſiori, dubia, nec ſatis definita quaeritur, in vnius ſolius hominis fide ac ſententia acquieſcat, neque potius in arte coniecturali, quae, vt multis videtur, ſolo vſu et experientia nititur, ex omnium omnino Aſclepiadarum decretis repetenda putet opinionis ſuae documenta? Legenda ſunt, amici, omnia omnis aeui monimenta, conferendisque

w) *Gal.* L. Loc. Aff. V. 6. p. 492. et Method. Med. XII. 2. p. 276. T. X.
x) *Alexander* l. c. p. 697: *Aëtius* Tetrabl. II. Ser. I. c. 96. ſeq. p. 242. Coll. *Steph.*: *Paullus* L. II. 37. p. 407. et L. III. 34. p. 454. ib.
y) *Gal.* Meth. Med. XII. 4. p. 279. T. X.
z) *Alexander* L. VII. 9. p. 342.
a) *Gal.* L. De Pulſ. ad Tyron. l. et p. cit.
b) De Sign. et Cauſſ. Acut. Morb. II. 3. p. 15. ed. *Boerh.*

disque iis ſignis ac nominibus, quibus auctores ad ſignificanda morborum genera vſi ſunt, in interiores naturae receſſus et adyta penetrandum eſt. Hac enim ſola via, quanti aeſtimandi ſint veteres, intelligemus.

III.

LETHARGVS, CATOCHVS ET CATALEPSIS, CARVS, COMA.

Mira hos morbos intercedit conſenſio quaſique contagio, atque tantum non *omnes cum ſopore* ſunt. Sed falluntur ii vehementer, qui haec mala ſolo nomine ac gradu apud veteres differre perhibent, ſiquidem hac in re longe accuratiores ſunt priſcorum temporum medici. Videtur vero *lethargus*, in quo, auctore CELSO [a]), *marcor et inexpugnabilis pene dormiendi neceſſitas eſt*, reliquas, tanquam ſpecies, in ſe continere, quippe omnes omnino cum ſopore maiori minoriue ſunt, atque praeterea, vt GALENVS [b]) litteris prodidit, *τὰ ὑπνώδη, κωματώδη* et *καρώδη πάθη* omnia communiter a cauſſa frigida proficiſcuntur. Bene enim haec ita coniunxit magnus ille medicus [c]): *Αἱ δ' ὑγραὶ δυσκρασίαι αἱ κατὰ τὸν ἐγκέφαλον, μαλακὲς*

a) De Medicin. III. 20. p. 158. ed. *Krauſ.* Cf. *Foëſius* Oecon. *Hipp.* p. 383.

b) L. De Loc. Affect. II. 5. p. 422. et L. III. 6. p. 433. T. VII. ed. *Chart.*

c) L. Praeſag. ex Pulſ. IV. 8. p. 302. T. VIII. vbi a variis cauſſis varie haec vitia repetuntur, vt *ab humiditate altus ſomnus vel coma*, *ab fatuitate ac humiditate cataphora*, quae ſimul *cum vigiliis et delirio* eſſe poteſt cet.

λακὰς ἐν τῷ χρόνῳ τὰς σφυγμὰς ἀποτελᾶσι, καὶ κωματώδη τὸν ἄνθρωπον· εἰ δὲ πυρετώδης αὐταῖς συνείη θερμότης, λήθαργος μὲν ὀνομάζεται τὸ νόσημα. *Humidae intemperies cerebri, molles pulſus diuturnitate efficiunt, ac hominem comatoſum: Si ad illas acceſſerit febrilis calor, morbus appellatur lethargus.* Immo vero alio d) loco ad ληθαργικὰς διαθέσεις diſerte refert κῶμα atque κάρον; quae cerebri vitia etiamſi vulgo inter ſe confundantur, ita tamen a ſe diſtingui poſſe auctor eſt, vt, ſi quis omnis ſenſus et motus expers videatur, neque clamore vllo excitetur, κάρος ſit; ſin vero ſopor adſit difficulter excutiendus, κῶμα et καταφορὰ, quibus tandem tertiam quandam intermediam adſociauit.

Hinc etiam non veritus eſt, πυρετὰς κωματώδεες, πυρετὸν καταφορικὸν et ληθαργικὸν cet. vniuerſe adducere. Qua de cauſſa *lethargus* apud ARETAEVM f) eleganter ab affectu ζόφος appellatur, ſiquidem, LVCRETIO ff) teſte, tunc temporis animus

Graui lethargo fertur in altum
Aeternumque ſoporem, oculis nutuque cadenti.
Vnde neque exaudit voces, neque noſcere vultus
Illorum potis eſt, ad vitam qui reuocantes
Circumſtant lacrymis rorantes ora genasque.

 Neque

d) In *Hipp.* Praedict. I. Comm. II. Text. 63. p. 743. T. VIII. Cf. *Foëſius* Oecon. *Hipp.* p. 325. et 367. vbi plurima veterum loca de *comate* et *cataphora* leguntur, recenſentur, explicantur: De *caro* autem vide p. 309.
e) In VI. Epid. Comm. I. Text. 29. p. 388. T. IX.
f) De Curat. Acut. Morb. I. 2. p. 77. ed. *Boerh.*
ff) De Rer. Nat. L. III. v. 466. ſequ.

Neque ego ſatis demirari poſſum SAVVAGESII g) pertinaciam dicam, an imprudentiam, qui vt ſuae in genera et ſpecies diuiſioni ſatisfaceret, doctrina veterum penitus neglecta, nomina tamen quouis modo retinenda cenſuit. Vnde non potuit non maxima ſubnaſci rerum ipſarum confuſio, de qua ſimiliter conqueſtus olim GALENVS h) eſt. Non enim, ſi quid video, veterum medicorum decreta confirmanda ex dialecticorum noſtrorum regulis ſunt, ſed, an naturae reſpondeant, vnice videndum eſt.

Eſt vero *lethargus*, vt ARCHIGENES et POSIDONIVS i) eum deſcripſerunt, certiſſime pro reliquorum morborum genere habendus, praeſertim cum ei a veteribus medicis, quantum ex CAELII AVRELIANI k) verbis coniectando adſequimur, plerumque *febris cum delirio* attribuatur, atque interdum ille appellatus ſit ἔκλυσις l). Porro *catoche* et *catalepſis* ex AETII mente *media inter phrenitidem et lethargum affectio ſpeciesque delirii eſt*, quocum vel inuitus conſentire CAELIVS m) cogitur.

Nec

g) Noſolog. Method. T. II. P. II. p. 410. ſeq. vbi ſimul *Gorraeus* teſtis adducitur; Sed doleo in magni huius viri definitionibus medicis haec verba me adhuc fruſtra quaeſiiſſe.

h) L. De Morb. Temporib. c. 4. p. 296. T. VII.

i) Ap. *Aëtium* Tetrabl. II. Serm. II. 3. p. 244. ſeq. Coll. *Steph.* Cf. *Brendelii* Diſſ. VI. De Affect. Soporoſ. §. 7. p. 105. ſeq. P. II. Opuſcul.

k) Acut. Morb. II. 1. p. 73. ſeq. ed. *Amman.*

l) *Galen.* Introduct. c. 13. p. 377. T. II. et paullo poſt p. 381. in *morborum longorum* numero collocatur. Sed caue, ne prius, quam reliqua morbi genera contuleris, iudices.

m) L. cit. c. 10. p. 95. ſeq. Cf. *Swieten.* Comm. in *Boerh.* Aph. 1036. p. 311. T. III. ed. *Hildb.* vbi haec veterum medi-

Nec ab hac ſententia GALENVS n) alienus eſt, qui tres *catochi* ſpecies adduxit, eſtque ille aut ὑπνώδης *lethargo adſimilis*, aut ἐγρηγορὼς *tetano affinis*, aut denique *catochus phreneticus*, qui ex duobus hiſce morbis quaſi eſt compoſitus. Similiter alio loco o) haec vitia coniungit ſic, vt vtrumque ſine conuulſione difficilique reſpiratione eſſe adfirmaret, ea tamen lege atque conditione, vt *carus* adiunctas habeat *palpebras clauſas*, *catalepſis* autem *apertas*, vterque tamen morbus cum vocis amputatione fierent. Omnium autem optime iterum GALENVS p) κατόχους, κατοχὴν, et κατάληψιν ſibi perfecte reſpondere, ceteraque ſigna, vt in lethargicis, fieri docuit. Quid? quod κῶμα HIPPOCRATIS q) ſecundum quosdam medicos cum PHILIPPI et ARCHIGENIS *catoche* prorſum conuenire credebatur; id quod etiam tunc temporis innuere ſine dubio voluit, cum *lethargum*, *carum*, *catochen et catalepſin* qq) aequabiliter ſine lucidis perſpicuisque ſignis eſſe perhiberet.

medicorum doctrina, de *catoche*, *catocho*, *catalepſi* bene praeclareque adumbratur.

n) Definit. Medic. n. 240. p. 260. T. II. et in L. *Hipp.* Epid. III. Comm. III. Text. 63. p. 282. T. IX. ed. *Chart.* Cf. ſi placet, de *catalepſi* et *catocho Foëſium* Oecon. *Hipp.* p. 317.

o) L. De Loc. Affect. IV. 3. p. 457. et L. V. 1. p. 475. T. VII.

p) L. De Pulſ. ad Tyron. c. 12. p. 12. T. VIII.

q) In *Hipp.* L. Epid. III. Comm. II. Text. 8. p. 252. T. IX.

qq) L. Loc. Affect. III. 5. p. 430. T. VII. ed. *Chart.*

Reſtant *carus* atque *coma*. Dicitur autem *Porus* apud PLATONEM [r]) ex largiori vini potu in ſomnum delapſus κεκαρωμένος; id quod GALENVS per βαθὺν καὶ δυσέγερτον ὕπνον (*profundum nec facile diſcutiendum ſomnum*) explicat, eſtque *carus* [s]) proprie ἡ παντὸς τοῦ σώματος αἰφνίδιος ἀναισθησία τε καὶ ἀκινησία. *Totius corporis repentina ſenſus motusque priuatio.* Hanc HIPPOCRATES Cous vulgo ἀφωνίαν appellauit. Naſcitur hicce morbus etiam, ſi inter perforandum cerebri [ss]) ventriculi nimis comprimuntur, et, ALEXANDRO [t]) teſte, in anteriore capitis parte potisſimum conſtituitur, vnde ſenſus inſtrumentis opus eſt vis inferatur maxima. Habent porro haec mala adiunctam *ſenſuum hebetudinem*, atque *ſoporem* [tt]), ſimiliter, vt in lethargo fieri ſolet, ea tamen differentia, vt in *caro* [u]) inſit *ſomnus profundiſſimus, ne fortiori quidem ſenſu diſcutiendus*, ac, vt GALENVS [v]) auctor eſt, aeger ſit ἀναίσθητος et ἀκίνητος,

r) Ap. *Galen.* in L. Praedict. I. Comm. II. Text. 63. p. 743. T. VIII.

s) In Aph. *Hipp.* Comm. V. Aph. 5. p. 196. T. IX.

ss) *Galen.* L. De Inſtrument. Odorat. c. 6. p. 363. T. V. ed. *Chart.*

t) L. I. 14. p. 61. ed. *Guinth.*

tt) *Aëtius* l. c. c. 5. et 6. p. 246. ſeq. Cf. *Galen.* Morb. Cauſſ. c. 3. p. 20. T. VII. vbi coniungendos exiſtimavit κάρους, κώματα, ἀποπληξίας, quoniam a ſimili communique cauſſa frigida naſcuntur.

u) *Vogel.* Prael. Acad. p. 50. *carum ſine febre* eſſe adfirmat, ſed id, vt nobis videtur, ſine vlla veterum auctoritate. *Poſidonius* enim apud *Aëtium* (Tetrabl. II. Serm. II. c. 5. p. 246. Coll. *Steph.*) ei expreſſe *debilem febrem* attribuit.

v) L. Loc. Affect. IV. 3. p. 456. T. VII.

νῆτος, ſalua reſpiratione; *coma* vero *ſopor* ſit, in quem, etſi aegrotus quouis modo excitetur, et haud raro garriat, tamen iterum incidat, quo ſenſu hac voce interdum etiam vſus eſt diuinus HIPPOCRATES [w]).

Oritur autem *coma* [x]), vt veteribus medicis viſum eſt, ex *multa cerebri humiditate*, *ebrietate*, *frigore*, *imbecillitate virium* cet. neque multum ab hoc genere abhorret *καταφορὰ*, ſiquidem GALENVS [y]) eam ex iisdem cauſſis frigidis naſci ſolere auctor eſt, et apud DIOSCORIDEM [yy]), in mandragorae potae ſignis *καταφορὰ ἰσχυρὰ κατὰ μηδὲν διαφέρȣσα πάθȣς τȣ̃ λεγομένȣ ληθάργȣ* diſerte collocatur. Cui ſi acceſſerint alia ſimul humorum vitia, tunc demum *καταφορὰν σὺν ἀγρυ-*

w) *Galen.* L. De Comat. Sec. *Hipp.* c. 1. p. 191. ſeq. T. VII. et in Praedict. I. Comm. I. Text. 1. p. 694. T. VIII.

x) *Galen.* in *Hipp.* Epid. III. Comm. I. Text. 7. p. 224. T. IX. Similiter in Praedict. I. Comm. III. Text. 95. p. 763. dicitur apud *Hippocratem* reperiri *κῶμα βαθὺ, ὑπνῶδες, ἄγρυπνον*, et in Coacis coni. *κωματώδεα, μεμωρωμένα, κάτοχα, κωματώδεες, ὕπνοι.* At vero *Galenus* (L. De Pulſ. ad Tyron. l. c.) non ſatis ſibi conſtitit, cum, an morbus hic medius quaſi ſit inter phrenitidem et lethargum, addubitaret. Cf. In Epid. II. Comm. III. Text. 3. p. 154. T. IX. P. I: (L. Praeſagit. ex Pulſ. IV. 8. p. 302. et L. De Cauſſ. Pulſ. IV. 15. p. 230. T. VIII. vbi omnia eius ſigna ad viuum repraeſentantur.' Sed Comm. III. in *Hipp.* Epid. III. Text. 39. p. 273. T. IX. adfertur *κῶμα ȣ̓χ ὑπνῶδες.*

y) L. De Praeſag. ex Pulſ. IV. 8. p. 302. T. VIII. et in Epid. III. Comm. III. Text. 45. p. 275. T. IX. illa *Hippocratis* verba, *καταφορῇ κακῇ, νωθρῇ, βαρέως ἀπόλλυντο* dic. optime per, *μετάπτωσιν εἰς λήθαργον*, explicari poſſe.

yy) Alexipharm c. 16. p. 408. ed. *Sarac.*

ἀγρυπνία καὶ παραφροσύνη accidere fas eſt. Alio vero loco [z]) idem ille diſerte demonſtrauit, quamuis καταφορὰν apud HIPPOCRATEM κῶμα appellari.

Hinc apud GALENVM [a]) ὕπνος καρώδης, καὶ καταφορικὸς, τρομώδεις καὶ ληθαργώδεις καταφοραὶ [b]), ληθαργικαὶ καταφοραὶ [c]), cet. commemorantur. Hinc PLVTARCHVS [cc]) in ſignis iis, quae *Cleopatrae* acciderant ex morſu aſpidum, ſimul κάρον ὑπνώδη καὶ καταφορὰν poſuit. Hinc denique, ni fallor, factum eſt, vt, cum in hiſce morbis ſubita quaſi functionum corporis requies ſubnaſcatur, magno illi medico [d]) κάρος et κατάληψις, tanquam quaedam παράλυσις, reputanda videretur, *coma* vero et *lethargus veluti deficiens et imbecillus motus*, (οἷον ἐλλιπὴς καὶ ἄτονος κίνησις) et nihilo tamen ſecius eodem genere contineri, quippe idem ille βαθὺν ὕπνον expreſſe κῶμα [e]) ſignificare dixerat. Quae vbi mente ſatis ſuperque verſaueramus, opportune ad hanc litem dirimendam noſtramque ſumtionem confir-

z) In *Hipp.* Praedict. I. Comm. I. Text. I. p. 694. T. VIII. et in Epid. II. Comm. III. Text. 3. p. 154. et Text. 33. p. 721. κῶμα idem, quod καταφορὰ ὑπνώδης eſſe dicitur. Cf. ſi placet, *Swieten.* Comm. in *Boerh.* Aph. 703. p. 337. T. II. ed. *Hildb.*

a) L. De Typis, c. 4. p. 153. T. VII.

b) L. cit.

c) L. cit. p. 154.

cc) In Vita *Antonii* p. 955. T. I. ed. *Xyl.*

d) De Symptom. Different. c. 3. p. 35. T. VII. ed. *Chart.*

e) L. De Praeſag. ex Pulſ. IV. 8. p. 301. T. VII.

confirmandam ſuccurrit PAVLLI f) teſtimonium, qui *catochon* eorum, qui ante GALENVM vixerant, cum recentiorum *catoche* ac *catalepſi* prorſum convenire docuerat. Neque ei cur fidem noſtram denegemus, equidem video, quippe haec exemplis ſi opus eſſet, pluribus demonſtrari potuiſſent.

Quae cerebri vitia cum veteres medici rite a ſe inuicem ſeiungerent, neque vana profecto verborum deliramenta aucuparentur, ſiquidem GALENO g) teſte, cuncta morborum genera aut a *parte laeſa*, aut a *ſigno quodam*, aut ab *vtroque ſimul*, aut a *cauſſa quadam effectrice*, aut denique a *ſimilitudine* cet. appellanda exiſtimarunt; non potuit non fieri, quin hac diligentia et accuratione ſumma nos antiſtarent quam longiſſime, adeoque in cauſſis indagandis maiori ſine dubio felicitate vterentur. Suus enim cuique morbo locus conſtat, ſua cuique cauſſa et medendi via eſt, neque hinc facile vllus errandi metus oritur. Tantos igitur tamque praeclaros duces ſequi, eorumque veſtigiis ſtrenue inſiſtere, dulce ac iucundum eſt, neque (crede mihi experto) tam nouaturientes aut proni illi ſunt ad nomina temere effingenda, quibus nulla ſubiecta eſt notio, vt hoc de principatu cum noſtris hominibus vnquam contendere voluiſſe videantur.

IV. VARIA

f) De Re Medic. III. 6. p. 419. ſeq. et c. 10. p. 421. Coll. *Steph.*

g) In Epid. II. Comm. II. Text. 17. p. 136. T. IX. P. I.

IV.

VARIA OCVLORVM VITIA.

Oculorum conformatio vt affabre et artificiofe facta eft, ita etiam illi, CELSO a) auctore, *ingentibus et variis cafibus patent. Qui cum magnam partem ad vitae fimul et vfum, et dulcedinem conferant, fumma cura tuendi funt.* Magna hinc olim medicorum oculariorum caterua occurrit apud veteres, quippe qui ad quaecunque corporis mala fuos habuerunt artifices b), ὠτικὸς, ὀδοντικὸς cet. iisque etiam nomen a re, in qua potiffimum verfabantur, impofuerunt, fic, vt haud raro διαιτητικοὶ, φαρμακευτικοὶ, βοτανικοὶ, οἰνοδόται, ἐλλεβοροδόται ἰατροὶ rel. commemorentur. Eminent autem in oculariorum numero PHILO c), DIONYSIVS, CLEON, THEODOTVS, EVELPIDES, NILEVS, ANDREAS, HERMON, HERO d), HERMIAS, FLORVS, APOLLONIVS, POMPONIVS BASSVS, HERMOPHYLVS, LVCIVS, STOLVS BRITANNICVS, innumerique

a) De Medicin. VI. 6. p. 346. ed. *Krauf.*

b) *Galen.* ad *Trafybul.* f. L. Hygieine medicinae fit, an Gymnaft. c. 24. p. 22. T. VI. ed. *Chart.*

c) *Celf.* l. c. p. 351. feq.

d) *Gal.* L. Compofit. Medicam. Sec. Loc. IV. 8. p. 437. T. XIII. Cf. fi placet, *Walchii* V. Cl. Antiquitat. Medic. p. 1. feq. maximeque Illuftr. *Trilleri* Progr. De Var. Vet. Medic. Oculario r. Collyriis, *Vitemb.* 1772. p. 2. fequ. quibus in libellis multa de medicis oculariis, eorumque figillis, praeclare maximaque cum doctrinae copia perdocentur, quae legiffe poenitebit, puto, neminem.

rique alii, quos adducere nec lubet, nec licet. Id tamen gratus memini, passim me id genus fragmenta reperire apud GALENVM, AETIVM, PAVLLVM, vnde, quam accurati ac diligentes in exprimendis oculorum morbis illi fuerint, facile colligitur.

Multa sunt (fateor) veterum nomina, quibus ad haec mala significanda vsi sunt, sed illa et naturae rei satis respondent, et medico instar ducum sunt, quorum ministerio ea feliciter persanare possit. Audiamus igitur eorum, quibus oculi sunt obnoxii, vitiorum recensum, praeeunte AETIO [e]): *Quae proprie dicuntur lippitudines* (ὀφθαλμίαι) *et chemoses, et perturbationes,* (ταράξεις) *et tumores,* (οἰδήματα) *et suffusiones ex plaga,* (ὑποσφάλματα) *et pterygia, affectiones sunt tunicae agnatae. Eadem etiam vlceratur, et carbunculo infestatur, et cancerosam affectionem habet.* At *lippitudo dura* (σκληροφθαλμία) *et lippitudo sicca,* (ξηροφθαλμία) *communes affectiones sunt palpebrarum, et ipsius oculi. Ceterum circa externam pal-*

e) Tetrabl. II. Serm. III. c. 2. p. 299. Coll. *Steph.* et ed. graec. L. VII. 2 p. 123. b. Similiter *Oribasius* Synops. VIII. 37. seq. p. 128. et L. Curat. Loc. Affect. IV. 13. p. 645. ib.: *Galenus* Defin. Med. n. 325. p. 268. T. II. ed. *Chart.* vbi cuncta oculorum vitia ab *inflammatione, fluxione,* et *vlceratione* repetuntur. Remedia vero varia recensentur L. Medic. Parabil. I. 5. p. 584. seq. et L. II. 4. p. 608. T. X: L. Composit. Medicam. Sec. Loc. IV. 3. p. 426. seq. T. XIII. nec non apud *Marcellum* L. De Medicament. c. 8. p. 264. seq. Coll. *Steph.* Cf. si placet, *Caelius Rhodigin.* Lect Antiqu. VII. 5. p. 314. seq. et L. IX. 1. seq. p. 423. quibus in locis plurima oculorum vitia docté appositeque veterum doctrinae enarrantur.

palpebrarum superficiem pustulae aquosae, (ὑδάτιδες) melicerides, et steatomata. Verum ex iis, quae circa internam palpebrarum consistunt, est densitas, (δασύτης) aspretudo, (τραχώματα) sycoses, grandines, (χαλάζια) calculi, (λιθιάσεις) concretio, (σύμφυσις) conclusio, (μύσις). Et lagophthalmi appellantur, quibus superna palpebra reuulsa est, vt oculum contegere non possit: Ectropii vero quibus inferna palpebra euersa est. Sed et mutilationes, (κολοβώματα) et corrosiones, (διαβρώσεις) et vlcerationes (ἑλκώσεις) in palpebris consistunt. Circa palpebrae vero extremitatem fit trichiasis h. e. *pili pungentes, et madarosis, quae et ptilosis vocatur, i. e. defluuium pilorum. Fit et morbus pedicularis, (φθειρίασις) ac porrigo, (πιτυρίασις) et paruus instar hordei abscessus (κριθὴ). Sed et milphosis i. e. pilorum nuditas, affectio est extremitatis palpebrae. Rubicunda enim his est palpebrae ala, colore miltum i. e. minium referens, (vnde etiam miltosis vitium appellatur). At vero anguli afficiuntur quidem etiam in aegilopis, sed non soli. Carunculae autem naturalis supra iustum modum incrementum et decrementum, (ἐγκανθίδες καὶ ῥοιάδες) solorum angulorum affectiones sunt. Porro circa tunicam corniformem consistit caligo (ἀχλὺς) nubecula, (νεφέλιον) argemon, (ἄργμα) epicauma, (ἐπίκαυσις καὶ ἕλκωσις) coeloma, bothrium, ruptio, (ῥῆξις) prolapsio, (πρόπτωσις) vnguis, (ὀνυχία) pus, (πύωσις) pustulae, (φλυκταῖναι) carbunculi, (ἄνθρακες) canceratae affectiones, (καρκινώδεις διαθέσεις). At circa aciniformem tunicam fiunt prolapsio, myocephala, staphylo-*

phylomata, (add. ἧλοι) *et mydriasis*, *quae et platycoria vocatur*, *i. e. pupillae dilatatio*, *tabes*, (φθίσις) *confusio*, (σύγχυσις) *pupillae distractiones*, (παρασπασμοὶ τῆς κόρης). *Suffusio* (ὑπόχυμα) *vero circa ipsum foramen aciniformis siue vuiformis tunicae consistit, hoc est, iuxta pupillam. Sed et ouiformis humor amplior se ipso factus, aut crassior, exactum visum impedit. Quin et imminutus idem humorem crystallinum resiccat. Quae vero glaucedo* (γλαύκωσις) *appellatur, siccitas est vehemeus humoris crystallini. Obscuratio* (ἀμαύρωσις) *autem obturatio est nerui visiui, vt omnino non videat, qui sic affectus est, pura tamen apparente pupilla. Laesos etiam oculos habent, citra hoc, vt aliquid mali appareat circa oculos, qui nyctilopes appellantur. Totorum vero oculorum manifesta laesio est, quae expressio* (ἐκπιεσμὸς) *vocatur. Est autem prominentia oculi velut extra positi.* —

Cum hac AETII deſcriptione PAVLLVS f) mirifice conſenſit; qui quo maiori cum cura chirurgiae dederat operam, eo maiori fide dignus eſt, cum artificis ſit, vti nominibus nec fictis, nec inutilibus. At vero perlegenti mihi libellos eos, quibus noſtra aetate, de chirurgia agitur, videor in alienum ignotumque orbem delatus. Veterum enim nomina aut penitus obſoleuerunt, quia noſtri homines haud raro ſibi ſoli ſapere, quam ex aliis pendere malunt, aut etiam, ſi qua in vſum adhibentur, peruerſe iis tantum non ſemper vtuntur ac

f) De Re Med. III. 22. p. 431. Coll. *Steph.* et ed. gr. p. 71.

ac ſine vlla veterum medicorum auctoritate. Ex quo, ſi quid video, non poteſt non maximum medicinae detrimentum inferri.

Sed ohe, iam ſatis eſt, ſatis nugarum ineptiarumque, ſi cui ita videatur. Vos non amplius moror, amici, iudices, aduerſarii; Hos ſolos, quoniam nuper aliquis eorum tam durus ſentiendo atque iudicando fuit, vt, qui magis eſſe poſſit, ſciam neminem, praeeunte Comico g),

Dehinc vt quieſcant, porro moneo, et deſinant
Maledicere, male facta ne noſcant ſua.
Fauete, adeſte aequo animo, et rem cognoſcite,
Vt pernoſcatis, ecquid ſpei ſit reliquum.

g) *Terent.* Prolog. in *Andriam* v. 22. ſequ.



INDEX

INDEX
RERVM MEMORABILIVM.

A.

B.

Panno-

I.

K.

L.

Lethar-

Schloe-

VITIA OPERARVM.

n. ſignific. not.

Pag. 4. l. 14. Qui enim, del. enim

— ib. l. 17. inquis, leg. inquit:

— 5. l. 14. artfices l. artifices.

— 11. l. 6. noua l. nouae.

— ib. l. 7. exiſtimanda, l. exiſtimandae.

— 20. l. 6. ſic l. ſin.

— 28. n. i. 11. leuis l. leues.

— 30. l. 16. ſolent, del.

— 31. n. l. 5. Medic. l. Medend.

— 37. l. 7. itaque l. iſtaque.

— 41. l. 13. Muſega l. Museya.

— 47. l. 10. abnoxios l. obnoxios.

— 63. l. 2. linguae l. lingua.

— 67. l. 1. τυφώδκς et ἐλώδκς l. τυφώδεας et ἐλώδεας.

— 84. n. l. 16. conuiuia l. conuiuii.

— ib. l. 16. inquid l. inquit.

— 123. n. 99. l. 3. cuulſi l. euulſi.

— 167. n. l. 12. Galenum l. apud Galenum.

— 182. l. 7. viſtigia l. veſtigia.

— 188. l. 3. obſoluerint l. obſoleuerint.

— 222. l. 24. καδάπερ leg. καθάπερ.

— 224. l. vlt. multi leg. multis.

— 227. l. 8. diligentiem leg. diligentiam.

— 234. l. 8. excruriari leg. excruciari.

— 236. l. 3. Ridlegus leg. Ridleyus.

— 247. l. 12. cum leg. et.

— 255. l. 18. deflectione leg. defectione.

— 256. l. 14. accuſacionem leg. accurationem.